GRAMMATICA FACILIS,

SEU

Nova, & artificiosa Methodus docendi linguam Latinam:

CUI

Præfiguntur *Animadversiones* in Rudimenta nostra vulgaria, & Grammaticam *Despauterianam*; nec non *Methodus*, quâ hæc doceatur; item *Vestibulum*, seu *Rudimenta* Grammaticæ. Tertiæ parti præfigitur *Orthographia*, de qua nihil apud *Despauterium* nostrum reperies. Huic subjicitur brevis de Accentu tractatus cum necessaria in tertiam partem præmonitione. Postremo, quinque Carminum generibus *Despauterianis* adduntur (plus minus) viginti quatuor Versuum genera cum brevi variorum Poëmatum descriptione.

Authore
JACOBO KIRKWODO.

Quicquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles. Hor.

Non est pudor ad meliora transire. *Ambros.*

GLASGUÆ,
Excudebat ROBERTUS SANDERS, Civitatis
Universitatis Typographus.

Nobilissimo,

Et summae spei adolescenti

Illustrissimi Kincardiae Comitis filio natu

maximo

Nobilissimo,

Et summæ spei adolescenti,

D. D. CAROLO BRUSSIO

Illustrissimi *Kincardinæ* Comitis filio natu maximo *Jacobus Kirkwodus*

S. P. D.

CElebre in Scholis est *Axioma*, Frustra fit per plura, quod æque commodè fieri potest per pauciora. *Ipsam videmus Naturam in effectibus suis producendis viâ, & methodo uti brevissimâ. Hanc imitari conantur omnes sapientes; & inde est, quod à seculo hoc sagaci, &* Plus ultra spiranti *sciencia, & artes fere omnes ad feraciorem culturam perducantur. Liceat ergo & mihi, quanvis postremis accensendo, Naturam tanquam ducem & magistram sequi; præsertim cum illustrissimum tuum Patrem, arduis etsi regni negotiis implicitum, hisce tamen in studiis versatissimum, & peritissimum, habeam Patronum. Ille enim, posthabitâ vulgari docendi methodo, & totâ, ne ultra dicam, regione conquisitâ, an quis esset, qui aliam attentaret viam, tandem non sine magno Dei erga me beneficio, & singulari providentia, in me à trita etiam instituendi methodo alienissimum incidit; cujus consilium & ductum in omnibus tuis studiis secutus sum: nec nisi ejus auspiciis (quin & ope dixerim) opusculum hoc cœpissem, fecissem, aut perfe-*

cissem unquam. In paternis igitur ædibus tuâ causâ con-ceptum, natum, nutritum, & nunc in lucem editum, tuu[m] optat, sperat, flagitat, & efflictim rogat patrociniu[m]. Sufficerent quidem ad operis attestationem doctorum app[ro]bationes; verum tuo præterea munitum præsidio omne[m] Zoilorum *invidiam susque deque habebit. En ex* Pupi[l]lo *nunc es, & semper eris mihi* Patronus. *Vale.*

Dat. Culrossiæ 15. *Maii*, 1674.

DOCTISSIMORUM

De opusculo hoc judicia eodem, quo ad Authoris manus pervenerunt, ordine disposita.

Ad *D. Jacobum Kirkwodum*, cum novam, & facilem Grammaticam evulgaret, εὐχαριστικόν.

Quas tibi pro meritis grates, Kirkwo le, *juventus*
Scotica *nunc referet, cujus solerte labore,*
Pervigili studio, curâ, genioque capaci,
Elimata datur dias in luminis oras
Grammatice, brevis, & facilis, nugisque recisis,
Tædia nulla ferens, tenebris, nec mole molesta
Ingeniis teneris; vitiis pleræque laborant
Queis aliæ; serieque quidem digesta decenti;
Tempore quam poterit breviore, labore minori
Discere, nec tantis animi cruciatibus angi,
Quanti sollicitam pupugerunt pectore mentem;
Dum salebræ, furvæque moras posuere tenebræ;
Ut lacrymæ persæpe sinus, vultusque rigarent.
Vivat Nestoreos, *pueri*, Kirkwodus *in annos,*
Dicite, qui studiis felicia fila ministrat,
Ne teneat dubios non extricabilis error.

JOAN. ANDERSONUS.
Scholæ *Glascuensis* Proscholus.

Integerrimo, ac perquam charo amico, Jacobo Kirkwodo Patricius Jonstonus S. P. D.

GRammaticam tuam, Frater plurimum dilecte, summa cum delectatione perlegi; in qua nihil reperio, quod mihi magnopere non arrideat: brevis quidem est, omnibus tamen partibus absoluta, perspicua, & ad puerorum captum, ac expeditiorem in studiis progressum rite accommodata; ideoque *Despauterianæ* in scholis præferendam censeo, lubensque amplector.

Noſtra ſodalitii, teneris quod cœpit in annis,
Non dirimenda ullo tempore vincla manent.
Ecce novo nexu retines me: quam mihi gratum,
Quo mage nil opus eſt, contigit illud opus?
Arte tua tibi me devinxti: jamque priores,
In tua juraturus verba, relinquo duces.
Tu comes ante mihi, ductor jam deinde futurus:
Hinc ſaxum auſpiciis volvere pergo tuis.

Ex Schola noſtra Hamiltoniana.

Mi Kirkwode,

DEſunt verba, quibus exprimam, quanto gaudio perfundatur pectus, cum opus hoc limatiſſimum ad metam optatam perductum videam: tibi enim in id ipſum jam prono, & feſtinanti ſuaſi, & perſuaſi (monente & rogante viro illuſtriſſimo, & in ſeculi ſui ornamentum & bonum nato, ALEXANDRO *Kincardinæ Comite*) cum nobiliſſimum puerum D. CAROLUM BRUSSIUM inſtituendum ſuſciperes, ut, miſſâ methodo vulgari impeditâ, & tædii plenâ, de nova breviori & expeditiori ſemita cogitares. Ad quod opus temet alacer accingebas; idque eâ diligentiâ & fidelitate curaſti, ut omnia ſupra votum cederent. Meum quidem non eſt de re Grammatica ferre ſententiam, cui alii jamdudum incubuere. Hoc tamen affirmare auſim, quod & multis teſtibus comprobare poſſum, biennium nondum fuiſſe exactum, poſtquam lectiſſimo juveni operam dares, cum plenam hujus ſermonis notitiam adeptus ſit, & lepóres, ac elegantias ejuſdem probè norit, ornatè quoque ac expeditè loqueretur. Complures tantum progreſſum, nec ſine ſtupore mirabantur, præſertim cum privatus inſtrueretur, idque in familia, ad quam quotidie non pauci accederent peregrini. Nec interim vel unicam Regulam ex ullo hauſerat libro: vivâ enim voce ejus animo & memoriæ infigebas ſingula linguæ præcepta; cujus ipſe teſtis fui; anceps animi, num utilitas, an ſuavitas mihi magis arrideret. Hiſce viſis, complures te rogarunt (in quo agmine & ipſe eram) ut, dum hæc tecum recentia eſſent, ſcriptis omnia traderes, poſteris O quantum profutura! Tu vero, quâ polles diligentiâ, &

ardore

ardore ad promovendum literarum studium, temet in solidum huic negotio tradidisti. Brevi ergo prodiit opus hoc consummatissimum, quod multarum vigiliarum, & lucubrationum opus merito dixerim. Et jam tandem (cum à multis rei Grammaticæ peritissimis serio perlectum, magnopere collaudatum, & exoptatum fuerit) juris fit publici. Gratulor ergo & tibi, & mihi, & *Scotiæ* nostræ, quæ, ut olim summum post *Augusti tempora* & scriptorem & Poëtam latini sermonis, ita nunc & peritissimum Grammaticæ compilatorem produxerit. Bonis ergo avibus in lucem prodeat, ut sermo latinus, qui diutius orbis literati imperium obtinuit, quam ipsius Author *Roma* orbis politici, deinceps melius, facilius, & minori tædio à pueris discatur: quo pacto magnis passibus ad reconditam, & veram eruditionem fiet progressus; cum dimidium facti in omnis doctrinæ indagine habeat, qui in latini sermonis peritia bene cœperit. Tu vero perge, & quemadmodum cœpisti, *Spartam*, quam nactus es, feliciter adorna. *Vale.*

GIL. BURNETUS

S. S. Theologiæ in Academia Glascuensi *Professor, & Serenissimo Regi à sacris domesticis.*

Grammaticæ latinæ à Magistro Jacobo Kirkwodo *nuper concinnatæ* Encomium.

MAxime celebratum illud Horatianum, *Quicquid præcipies, esto brevis*, quam necessarium sit, tenellæ ætatis Informatores haud dubie suo calculo comprobabunt. Verum sedulo cavendum, ne, *Si brevis esse laboras, obscurus fias*. Utrumque diligenter à *Jacobo Kirkwodo* observari, cuivis facile patebit, qui Grammaticam ab ipso concinnatam, sagaci examine perpenderit. Quæ enim à plerisque perplexè, prolixè, nimisque obscurè traduntur, ab illo summa cum brevitate, & perspicuitate, nec non methodo, quæ vel excogitari potest, optimâ describi omnia reperies. Ea propter suffragium, & calculum meum, quantumvis parvi pretii, lubens addo. Autoris industria una cum voluntate laudanda est, qui ejusmodi Grammaticam exaravit, qua juventus facilius, & cum minori tem-

per se dispendio ad linguae latinae cognitionem promoveantur. Eoque si bonorum literarum Patronis visum fuerit, dignam censeo, quae in Scholas eorum usum typis mandetur.

FRANCISCUS KINCAID
Scholae Glascuensis Rector.

GRammaticam hanc, velut *Ancile* quoddam e coelo delapsum, avidus in manus arripui, & praejudicii omnis, quo infelix hoc seculum misere laborat, opinionumque praeconceptarum perspicillis sepositis, liberâ mente lustravi, legi, perpendi; nec in ea quidquam, quod vel ad accuratissimam methodum, vel perspicuitatem summam, vel compendium etiam omnibus numeris absolutum spectat, desiderare potuit tenuitas, & infantia nostra. Non me latet, quosdam usque adeo morosos, morisque sui tenaces esse, ut, quamvis *videant meliora, probentque, deteriora tamen usque & usque, consuetudinem nimirum, pro lege sequantur*; pecorum ritu antecedentis gregis premunt vestigia eundo, non quo eundum est, sed qua itur; impotenter adeo magnis Antiquorum nominibus fascinati, quicquid novum offertur, tanquam vanum, & infrunitum abjiciunt, audire etiam, vel videre dedignati. At vero lectorem quemlibet (servum pecus, & mancipia sola, & semper excipio) ad opus hoc evolvendum inoffenso pede transmitto, nec Patrono, nec Authori, nec cuivis alteri gratificaturus assensum praebeat; sed effossis omnis praejudicii oculis sedulo revolvat, & cum Grammatica illa, quae à juventute teritur, &, qua hodie turgent scholae, conferat, componat, multis eam illi anteferendam parasangis, nullus procul dubio ambiget. *Despauterii* Grammaticam pro fugacis aevi brevitate prolixam, pro ingeniorum vulgarium modulo operosam, multis autem modis mancam, & defectam, magnam in ea incuriam necessaria à nonnecessariis discernendi quis non videt? hinc portentose diffusa juventutis studia inutili omnium minutiarum consectatione, quibus nullo insigni usu etiam perspicacissima fatigantur ingenia, texuntur in ipso limine obscuritates affectatae, & permissi fere ubique deditâ operâ gryphi, quibus hiantes, & suspensi tenentur studiosi: inde sane non mirum pugnos & ferulas, virgas & scuticas, dapes esse in scholis usitatissimas, quotidianaque bellaria. At vero peritissimus hic Author methodi prudentiâ adeo inescare, & demulcere

cere

[illegible] satagit adolescens ut [illegible] ; ut studiis illis rerum [illegible] illecebræ, [illegible] gaudeant. Curva dirigit, perplexa explicat ; mirâ arte omnia formata. Progreditur naturæ ordine semper à prioribus ad posteriora ; à notis ad ignotiora ; ubique gradatim fit processus, ita, ut prima secundis, secunda tertiis, tertia quartis, lucem ministrent, & ad finem usque facem præferant perpetuam ; prorsus, ut in catena annulus annulum excipit, ac trahit. Sed Authoris & insignis hujus opellæ laudes ingenii culpâ alterius deterere parco. Quem ipsius Grammaticæ lectio non commovebit, nunquam accendet nostra oratio. Ne autem linguæ latinæ hodie expiranti & juventuti *Scoticæ* fœtus tam utilis obscuricationis inopiâ extinguatur, *Deos nixios* rogo, obsecroque

GASP. KELLY.
V. D. M. *Dumblanensis.*

ARtem hanc *Jacobi Templo-sylvii* mole parvam, efficaciâ magnam, brevem, sed perspicuam, omnibus Grammaticastrorum superfluis & quisquiliis liberam, cunctis tamen Grammaticorum normis necessariis non tantum gravidam, sed etiam variis variorum elegantiis & deliciis ornatam ; tyronibus apprime aptam natam, adultioribus, & provectioribus humaniorum literarum cultoribus perquam gratam, non potest non sedulo tantum omnibus commendare, quin etiam magnopere probare ; & summopere laudare

ROBERTUS CUNNINGAMIUS,
Medicus Regius.

GRammaticam hanc quisquis liberâ mente lustrarit, & æquâ cum *Despauteriana* lance perpenderit, non dubito, quin infinitis parasangis illi antecedendam existimet. Illic perplexa, & obscura reperies omnia ; hic summa ubique relucet perspicuitas. Illic innumera exstant superflua, & tædii plena ; hic nihil non necessarium invenies. Illa mutila, & manca ; hæc omnibus numeris absoluta. Illius Regulæ tot fere sunt Ænigmata, & Mæandri inextricabiles ;

calliter; hujus vel primâ fronte cuivis obviæ, & perspectæ. Illius glossæ Regulas obscuritate longe superant, innumeris arduis, & abstrusis suffarcinatæ exemplis, & non rarò ab instituto prorsus alienis; hic pauca & familiaria, & ad illustrandas Regulas semper condecentia. Illic necessaria a non necessariis nunquam, Exempla à Præceptis raro ullâ discernas notâ; hic artificiosè distinguuntur omnia. Postremò, illic sæpe præposterus, & inversus est ordo; hic eam videas formam, & methodum, qua, nescio, an mens humana excogitare possit commodiorem.

GUL. BROUN.

Ex Auditorio nostro *Sterlini*.

D. Jacobo Kirkwodo, dum Grammaticam novam adornaret.

AMphitryoniaden *celebravit* Græcia *quondam*;
  Varronemque *canit* Roma *diserta suum*.
Illum mille feras portentaque sæva domantem;
  Atque hujus titulos Grammatici auget honos.
Tædia non illum, seriesve immensa laborum
  Fregere, aut odio sæva noverca suo.
Huic vigili studio sudata in secula clarum,
  Phœbo haud invito, nomen in astra ferunt.
Kirkwodo *cessit laus utraque; monstra domavit,*
  Grammaticæque novum lumen opesque dedit.

NINIANUS PATERSON,
V. D. M. *Smellamiensis.*

HOc Opellum primam adolescentiam Grammaticis imbuendi consilium & industriam, Authori huic, apud bonos & doctos omnes, gratiam; & perspicuitatem brevitati conjunctam, ipsi operi pretium conciliaturum non immeritò augurari videmur.

JAC. PILLANUS,
Philosophiæ Professor in Academia *Edinburgensi*.

Philo-

Philosophiæ Professores in Academia Glasguana
Jacobo Kirkwodo S.

PErlegimus erudita tua humaniorum literarum tyrocinia; quæ brevia, perspicua, & (quatenus usus, & tenella postulet indoles) suis numeris absoluta ostendimus: & ita tanquam utilem in re Grammatica juniores instruendi formulam (quod unicum videtur operis institutum) amplexanda opinamur; quapropter calculum hunc nostrum apponere non dubitamus.

GUL. BLARUS.
THOM. NICOLSONUS.
JOAN. TRANUS.
JOAN. BODIUS.

TAntopere mihi placet *D. Kirkwodi* Grammatica ob brevitatem, perspicuitatem, methodi elegantiam; ut nullam sane antehac in lucem editam ei tyronibus instituendis comparandam, nedum anteferendam censeam.

GEOR. SINCLARUS.
Philosophiæ quondam in Academia *Glasguensi* Professor, nunc Scholæ *Lethensi* præpositus.

Dilecto fratri Gulielmo Cuminio Joannes Sinclarus *V. D. M.* Ormistonensis *Salutem.*

SChedas illas, Dilecte frater, quæ inscribuntur *Animadversiones*, &c. perlegi. Lætor tandem, socium, consortemque me nactum esse, qui grande illud Idolum Fori, ut cum clarissimo *Verulamio* Vice-comite loquar, linguam latinam addisci non posse absque regulis metricis & *Despauterianis*, eversum iret. Hoc erat in votis, *Grammatica* nempe, *paucis præceptis comprehensa*. Angusta certe eruditio est ad regulas ænigmaticas *Despauterii*, aut ejusdem farinæ doctum esse. Quàm multa, usus, linguæ latinæ consuetudo & idiotismi, Veterum elegantia requirit, quæ omnia extra regulas gram-

grammaticales ſunt? Unum eſt, de quo Præceptores noſtri temporis iterum atque iterum monitos cupio, ut linguam latinam recte legere, & pronunciare aſſueſcant: multum enim a priſtina puritate pronunciationis degeneratum eſt. Eoque intolerabilius eſt hoc vitium, quod Natura ſuperbiſſimum judicium collocaverit in auribus. Miror equidem, unde hæc ſartago loquendi venerit in linguas. Meâ enim tempeſtate, 30, aut 40 abhinc annis, neminem, vel Præceptorem, vel Diſcipulum, obſervavi, qui in hoc delinqueret. Difficilior certe cum nullis eſt mihi lucta, quam illis, qui pravæ ejuſmodi pronunciationi aſſueti; quod oſcitantiæ & imperitiæ Magiſtrorum præcipue imputo, Cacoëthes illud non ſine ſummo labore exuunt. Sed hæc raptim. Vale.

Reverendo D. D. Cuminio David Skeoch *ſalutem.*

Reverende,

Multum me fallit experientia longa, ſi *Deſpauterius* (de literis & literatis optime meritus tamen) gloſſematis longis, & carminibus plurimis ænigmaticis, Scholarum provinciam per ſe duram, ſed reip. maxime neceſſariam, (nam quamvis grammaticalia puerilia habentur, uſu tamen ingenti merito commendantur) cum docentibus, tum diſcentibus non reddiderit longe duriorem. Jamdudum ſaxum hoc volventes, & in pulvere grammaticali deſudantes, conclamitantes audio, peropus eſſe ſcholis grammaticâ brevi, & perſpicuâ; cujus ductu latinæ linguæ pleniorem, & puriorem cognitionem imbiberent pueri. In authoribus enim legendis grammatica illa brevior à Philoponis eſt exercenda: nam certius procul dubio ex uſu diſcuntur præcepta, quam ex præceptis uſus. Ecce inter querimonias noſtras derepente exortus eſt *D. Kirkwodus* de patria & ſcholis præclare meritus; qui noſtrorum omnium palæſtrarum nutritius grammatices epitomen concinnavit; eandemque trutinandam propinat omnibus, quorum intereſt. Qui & nomen, & famam deſpiciens, ſingulos, & univerſos Scholarches invitat, ut quiſque ſuum ſymbolum conferat, addendo, delendo, vel transferendo; ut ita tandem tædia, ſudorq; lachrymæ & luctus ex ludis literariis exulent. Adeſte igitur alacres, Philoponi reverendi, adjutrices manus,

manus, in hoc opere tam necessario, tamque utili conferri. Spero, Magistratum conatibus tam piis non defuturum, utpote satis gnarum, bonum, vel malum reipub. statum, ex bona, vel mala puerorum educatione, tanquam ex fonte manare: cujus seminarium est schola, & hujus non minima laus Grammatica idonea, omnibusque numeris absoluta. Et quidem scholarum statum serio, & attentius ponderabant Ecclesiæ Patres in ultima illa, aut penultima Synodo nationali *Edinburgi* habita: qui in unoquoque Presbyterio, per universam gentem, loco maxime idoneo, unam duntaxat scholam grammaticalem aperiendam, eandemque patrio affectu fovendam statuebant. In qua etiam magnopere agitatum est de purgandis Poëtis, eorumque obscœnitatibus è scholis eliminandis. Sunt & alia, publice utilia, vobis communicanda, sed in conventum vestrum, super hac re multum speratum, rejicientur. O omni studio enitamur! ut nostrates scholas successoribus nostris, quasi de manu, in manum ita tradamus, ut, nobis etiam defunctis, juventus *Scotiæ*, antiqui hujus regni spes, literis & literatis floreat, *Dum rotat astra polus* ——— Sæpe nobiscum in animo nostro volvamus, & versemus, nunquam satis laudatum illum *C. Lælii* in patriam suam affectum, quem hisce verbis edit, *Mihi non minori curæ est, qualis respub. post mortem meam futura sit, quam qualis hodie est.* Hæc rapcim, plura coram. Vale.

Ex Auditorio nostro *Linlithgensi*.

Dici profectò nequit, quam fœdis sigellastri fordibus, quot difficultatum spinetis, quanto inutilis prorsus lolii horrore laboret ager *Despauterii*! ut non mirum cuiquam hactenus videri debeat, plenitudinis defuisse messem. Patebat scilicet perito agricolæ runcationis opportunitas. Falcastrum itaque injecit Author, sterilitatis *Latii* sanè impatiens. Et suppeditaturum quidem abundè, omnis boni scaturiginem, *Deum Opt. Max.* sussusos benedictionis imbres, sementem solerter faciendi, nullus dubito.

GUL. SKENUS.

Ex Auditorio nostro *Hadiga*.

Jacobo

Jacobo Kirkwodo *Grammatico doctissimo* Matthæus Birsbanus *Med. Doct.*

S. P.

BOni civis est (*mi Kirkwode*) periclitanti undecunque reipub. commodis, quibus maxime potest, auxiliis illico subvenire; eumque ego militem duco merito Duplicarium, qui ignavius desertam a sociis suis, & commanipulonibus stationem fortiter occupat, nulla rei gerendæ aut mole præpeditus, aut difficultate: nempe non cedit ille loco vel ad incitas redactus, neque fugâ sibi consulit, sed ad ardua quælibet expetenda (quâ unice viâ ad gloriam ire immortalem hominibus datum est) & animum obfirmat suum, & singulos, quorum interest, advocato omni commilitio obnixe invitat. Ita profecto se res habet; firmatis parum huc usque incuriâ partim, partim imbelliâ Ducum, ab ora Grammaticali disciplinarum antemuralibus, universam necesse est in summo versari discrimine rempub. ipsam literariam, funditus tandem omni procul dubio perituram, nisi masculâ quadam, & amicâ populi literarii symmachiâ (quam tuâ stetî virtute, propediem speramus) strenue ei & mature succuratur. Agedum tu itaque, civis optime, miles (quid dico miles? imo vero herele Antesignanus, imo Imperator) fortissime, aciem pone quamprimum; victor (nisi fallat omen) de hoste triumphabis infestissimo. Ludimagistrorum quorumcunque doctiorum in procinctu exercitus est, eandem belli tecum fortunam experiri gestientium; sed & Drungos (si quos velis) innumeros ex omni gente togata, primo quoque classico conscribere potes, & inter hos ipsum me, quantum mea fert tenuitas, quidem,

Tibi in *Barbariem* ducenti amicum juratissimum

M. BIRSBANUM.

DOm. *Kirkwodi* Vestibulum Grammaticæ, primamq; & etiam secundam partem typis nuper impressam vidi, legi, perlegi. Institutum, conamenque Authoris laudo, summoque ipsum in honore habeo; qui, nec brevitate perspicuitatem obscurante, nec superfluorum Vocabulorum usu (seu potius abusu) Intellectum, Memoriamque

moriamque discentium obruente, brevissimam, facillimamque cum Ludimagistris docendi, tum Discipulis linguam latinam discendi lucidissime sine ullo temporis dispendio viam & methodum præmonstrarit: ita, ut hujus methodi brevitatem, amorem & favorem; facilitatem, delectationem & voluptatem tum docentibus, tum discentibus conciliaturam pro certo statuam

ALEX. STRANGIUS,
V. D. M.
& Scholæ Grammaticæ, quæ est in suburbio Canonicorum *Edinburgensi* præpositus.

In Grammaticam Kirkwodi.

QUanvis *Despauteriana* Grammaticæ, quæ tot annos in hoc regno duraverit, debitas denegare laudes ingratum esse censeo; hanc tamen multis parasangis illi anteferendam nullus dubito. Illic multa quidem bona, hic omnia video meliora, proboque, deteriora non sequar, utpote in nullius verba juratus. Brevitas citra obscuritatem, perfectio citra redundantiam, recta ad Regularum idéas (quod solum est necessarium) manuductio, & in nobilem & eximiæ spei adolescentem felix experimentum (vivâ licet voce illi traditum) hoc opus tenellæ puerulorum ætati cum quam minimo temporis dispendio, & quam rarissimis misellorum infantium castigationibus inserviturum extra omnem controversiæ & dubitationis aleam ponunt.

ARTHURUS MILLAR.
Ex Auditorio nostro *Britannoduni.*

D. Cuminii ad Scholarchas, &c. Epistolam opusculo huic subjectam reperias.

Animad-

ANIMADVERSIONES

In Rudimenta nostra vulgaria, quæ ab hisce verbis incipiunt *Quum literarum*; & Grammaticam *Despauterianam*.

1. PEriro doctori imprimis necessarium putat Quintilianus, *scire esse multa, quæ sciri non merentur*. Non minus enim in rerum superfluarum, quam necessariarum cognitione acquirenda desudatur, ut immensos in supervacaneis istis conservandis labores æterno oblivionis sippario involvam. Nam quis est, nisi leberide cæcior, qui non videt, nos rerum necessariarum scientiam semel adeptos usu quotidiano nulla cum molestia retinere? At superfluarum notitia absque frequenti & inutili indies repetitione conservari non potest. Dici autem nequit, quam infinita vocum multitudo, & innumera fere Præcepta, quorum partim nullus, partim perexiguus est usus, in ipso linguæ atrio misellis puerulis obtrudantur. Quid de abstrusa & perplexa illa prima Libri oratione hic dicam? *Quum literarum consideratio*, &c. Quid de Consonantium divisione in *Mutas*, *Liquidas*; *Semivocales*, & *Duplices*? Harum nullus prorsus est usus, donec ad tertiam Grammaticæ partem perventum fuerit. Cur igitur superfluum hic creant laborem? Omitto, quod istas voces pueri nequeant intelligere; præsertim cum nullus sit earum usus. Num vero sit hæc legitima Consonantium divisio, in *Orthographia* nostra discutietur.

2. Nec minus superflua est Vocum divisio in octo classes. *Nomen*, *Pronomen*, *Verbum*, *Participium*, *Adverbium*, *Præpositio*, *Interjectio*, & *Conjunctio*.

3. *Pronomina* (inquit doctissimus *Sanctius*) *vera sunt Nomina, nec quicquam peculiare habent præter declinandi modum.* Silentio hic prætereo infinitas Grammaticorum lites de eorum numero. *Quidam*, *Qualis*, *Quantus*, *Uter*, *Neuter*, *Omnis*, *Totus*, *Ambo*, *Duo*; Pronomina a nonnullis statuuntur. Miror equidem, Verbum ali-

quando Pronomen non dici; ut in hac oratione, AMAT *est terti* *persona*; nam *Amat* hic pro Nomine ponitur.

4. De Participiis etiam digladiantur tanquam pro aris & foci *Potens*, *Absens*, *Insciens*, *Commendatus*, *Commendatissimus*, & alii Participiis, alii Nominibus accensenda volunt.

5. Secundo, quorsum, quæso, hic traduntur variæ Græcoru terminationes, quas admodum raro apud ipsos reperies poetas? E in Genitivo primæ Declinationis; *An* & *En* in Accusativo pri docentur, quam vel ullam latinam vocem flectere pueri didicerint.

6. Deinde nulla hic urget necessitas, ut Regula pro varia No minum terminatione describatur. Cur, inquam, potius assignand est Regula super *Penna pennæ*, quam super *Amo amas*, &c. Vel eni sicut dicimus; *Genitivus singularis æ*, pariter dicendum, *Secund persona as*, *tertia at*: vel detur ratio, cur de Nominibus, & non d Verbis Regula exigatur. Quid? annon, ut *Amo amas* est para digma Verborum primæ Conjugationis; sic *Penna pennæ* statu debet exemplar seu paradigma Nominum primæ declinationis? Et si absque Regularum auxilio ediscantur Verborum terminationes multo magis Nominum, utpote longe pauciores.

7. Præterea superflua est hic Adjectivorum Comparatio, quipp quæ confusa tantum sit vocum declinatio, & sufficiat, ut sigillatin voces hic flectantur.

8. Sic in Verbis, frustra multiplicantur Modi: quum enin Optativus, Subjunctivus, & Potentialis terminatione coincidan non est, quod nomine discrepent. Si autem *Utinam saperem* Optati vus sit; *Ne stultescas* Prohibitivus esto: ut enim illud Optandi, it hoc Prohibendi Adverbio subjungitur. Atque si hoc ad novos crean dos Modos sufficiat, quid impedit, quo minus Dubitativos, Interro gativos, Negativos, &c. habeamus Modos? hisce enim Adverbii subjiciuntur Verba.

9. Si puero dicatur post hanc vocem *Utinam* semper oportere se qui Subjunctivum, quæro, contra quam Syntaxeos Regulam peccet si Præceptum hoc observet.

10. Deinde apud doctos non raro dubitatur, cujus sit Modi hoc aut illud Verbum; quod ex unica hac *Terentii* oratione, patebit *Ut te dii perdant.* Quidam aiunt *Ut* hic poni pro *Utinam*: al volun

volunt supprimi Verbum principale *Oro*, vel *Precor*, *ut dii te perdant:* unde hi Subjunctivum, illi Optativum statuunt. Nec quisquam est, qui hunc solvet nodum, donec prius Terentii consulat manes. Mirum igitur non est ambigere pueros, cujus sit Modi. Hæsitabam millies, dum sub ferula militarem, quid hic esset respondendum. Pro certo mihi constabat non Indicativi, Imperativi, aut Infinitivi esse; num vero Subjunctivi, Optativi, aut Potentialis, non item. Quod si hi tres Modi ad unicum sub quocunque Nomine reducerentur, nullus esset ambigendi locus, nec ob ignorantiam insontes immeritas luerent pœnas.

11. Secundo, Tempora a Verbo *Sum* suppleta hujus loci non sunt: Nomina enim una cum Verbis hic flecti non debent. Istud ad Constructionem attinet. Nullum omnino est discrimen inter *Amatus*, aut *amata sum*, ac *Bonus*, aut *bona sum* quoad declinandi rationem. Eodem labore utrumque pueris postea innotescet. Præterea *amatus sum* ut plurimum præsentis temporis est, idem sc. quod *amor:* & *eram amatus* idem, quod *amabar*.

12. Tertio incassum describuntur Tempora à Præterito perfecto formata, nisi in prima Conjugatione: omnia enim Verba quoad ista Tempora eodem prorsus modo sese habent. Quid, quæso, discriminis inter *Amavi, amaveram; audivi, audiveram; docui, docueram; fui, fueram; tuli, tuleram?* Idem est discrimen inter duo Verba ejusdem Conjugationis, ac diversæ; inter *dedi* & *steti*, ac *dedi* & *legi:* inter *dixi* & *vixi*; *dixi* & *vinxi*; *docui* & *monui*; *docui* & *volui*, &c. Ne vel unicum in toto latino sermone est Verbum irregulare. Verum omnia ista Tempora, sed charactere diverso in quatuor Conjugationibus descripsimus; ut vel docere, vel omittere cuilibet pro arbitrio liceat.

13 Obiter hic advertas absurdum quoddam scholis irrepsisse erratum, quod scilicet *Amatus ero* & *fuero* pro eodem accipiantur. *Amabor* quidem & *Amatus ero* idem prorsus sunt; utrumque enim est Indicativi: at *Amatus fuero* Subjunctivi, vel Optativi. Quis unquam legit *Utinam amatus ero*; *Utinam salvatus ero?* &c. Eodem jure dicas *Utinam amabor*. Quo autem fato vel scholis irrepserit, vel tamdiu ibidem viguerit, conjecturam facere nequeo; ni forte, ut ubique geminos haberemus in curru equos.

Utinam amatus { *sim*, *essem*, ERO
fuerim, *fuissem*, *fuero*.

14. Proh pudor! unus equus & claudus, & discolor est; *Ero* enim est Indicativi Modi, reliqui omnes Subjunctivi. Quis vel currui meritorio hujusmodi strigosum & squalidum asciscceret caballum?

15. Aliud hic est notatu haud indignum, quod scilicet secunda persona pluralis Imperativi, *Amaminor*, *Doceminor*, inter reliquas describatur. Hanc vocem apud nullum unquam authorem vidi, nec quenquam conveni; qui se legisse meminerit, licet plurimos interrogarim. Et nulla omnino est persona inter omnia Verba, quæ plus cruciatus & molestiæ pueris creat, quam hæc unica; quam, tamen nescio, an vel semel in seculo legas. Quapropter ex albo Grammaticæ seclusimus.

16. Præterea sæpius mecum cogitabam, cur solum Verbum *sum* tres haberet voces in secunda persona Imperativi *Sis*, *es*, *esto* tu; *Sitis este*, *estote* vos. Tandem subit animum, Subjunctivum indifferenter pro Imperativo poni: vulgo enim dicimus *Tace*, vel *taceas*; *accede*, vel *accedas*: unde Ovid.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse;
Nil mihi rescribas attamen; ipse veni.

17. Atque hinc pro certo concludimus *Sis* & *Sitis* esse Subjunctivi, non Imperativi Modi.

18. Verisimillimum quoque est, reliquas Imperativi personas quæ cum Subjunctivo coincidunt, sc. *Amet*, *amemus*, *ament*, ad solum Subjunctivum pertinere. Fatemur quidem istud demonstrari non posse, sicut nec ejus contrarium; cum tamen ita possit esse, multo erit facilius, si Imperativus ad personas quam paucissimas reducatur. Non semel audivi viros docendi peritissimos æstimare suos discipulos magis fatigari Imperativo memoriæ mandando, quam ullo alio Modo.

19. Miror sane, qui in mentem humanam venerit bis per omnes Conjugationes primam pluralem describere. In præsenti Imperativi *amemus*; & in altera (ut loquuntur) voce *amemus*. Mallem dicere in eadem voce. Item in Subjunctivo *amemus*; in Optativo *amemus*:

& in

& in Potentiali *amemus*. Quidni etiam in Modo permissivo, prohibitivo, &c. *amemus?* Annon satius esset hæc omnia ad unicam vocem reducere?

20. Deinde scire velim, cur Imperativus habeat primam pluralem, & non primam singularem. Vulgo respondent, quia nemo potest sibi imperare. At fatentur posse & sibi, & aliis; ergo & sibi: *Qui potest majus, potest minus.*

21. Longum esset singula superflua, & abstrusa hujus libelli Præcepta notare. Quotusquisque est, qui Nominis intelligit definitionem, aut multifariam ejus divisionem in *Interrogativum*, *Relativum*, *Collectivum Partitivum*, *Distributivum*, *Multiplicativum*, *Primitivum*, *Derivativum*, *simplex*, *Compositum*, *Patronymicum*, *Gentile*, *Numerale*, *Cardinale*, *Ordinale?* Quid septem Genera hic memorem, *Commune duum*, *Commune trium*, *Promiscuum*, *dubium* &c. Quid varias Verborum species referam? *Frequentativum*, *Augmentativum*, *Desiderativum*, *Inchoativum*, *Deponens*, *Commune*, &c. Quid abstrusas tum Modorum, tum Temporum, Definitiones? Cur hæc potius hic definiantur, quam Nominum Casus, nulla assignari potest ratio.

22. Quid de variis vocum indeclinabilium classibus hic dicam? Sine ullo certe Scientiæ detrimento possent omnes hæ quatuor orationis partes ad unicam classem revocari, scilicet *Dictionum indeclinabilium*. Unum vero hic est, quod mirari satis nequeo, quod videlicet has voces, quæ nisi aliis adjiciantur, nihil significant, separatim doceamus, ac more psittacorum pueros memoriæ mandare cogamus. Ah, quanti est laboris tantam vocum farraginem; quæ nullam habent adinvicem connexionem, nullam abinvicem dependentiam, labili & infirmæ adhuc memoriæ committere? Non semel apud me cogitavi, num ipse *Cicero* tale quidquam unquam audierit, *Adverbia remittendi*; *adversitatis*, *rei non peractæ*; *negatæ solitudinis*, &c.

23. Magnus est Conjunctionum exercitus. Illæ in multas dividuntur turmas, quæ alia conjungere solent. Aliæ sunt *Copulativæ*, *Disjunctivæ*, *Suspensivæ*, *Discretivæ*, *Perfectivæ*, *Rationis redditivæ*, sive *Causales*, *Conditionales*, *Dubitativæ*, *Illativæ*, sive *Rationales*, *Adversativæ*, *Adversativarum redditivæ*, *Expletivæ*, *Præpositivæ*, *Subjunctivæ*, *Translativæ*. Eheu, quanta puerorum crux!

Non obtusum certe oportet habere ingenium, qui infantibus ista enucleet.

24. Magnum habemus Præpositionum gregem; sed miror Postpositiones nullas esse; ut enim *Ad*, & *Apud* præponuntur, ita *Tenus* & *Versus* suis casibus postponuntur. Celebre in scholis est Axioma, *Omnem Præpositionem casum non regentem adverbiascere*. Mira profecto est Præpositionum frugalitas. Formicas puto ab iis superari in sua gubernanda republica? Foras statim ejicitur; si qua operi non incumbat. At miror, Adverbia casum regentia non pariter *præpositiascere*; ut, *Pridie nonas*: Ast subintelligi hic volunt Præpositionem *Ante*. Pari certe jure subintelligi etiam potest casus, quem Præpositio regit, ut in vulgari exemplo; *Nec te quæsiveris extra*, *sc. extra te ipsum*. Sic *Longo post tempore venit*; sc. *longo tempore post illud tempus*, *de quo fit sermo*: vel, ut planius dicam, *Libertas venit longo tempore post barbam*. Virg: Ec. 1.

25. De Interjectionibus hoc tantum dicam, eas à *Clenardo* in græca sua Grammatica Adverbiis accenseri, nec ab ullo, quod sciam, vitio illi verti. Quid igitur impedit, quo minus idem à nobis fiat?

26 De Constructionibus, quæ his omnibus subjiciuntur, alibi agetur; Jam ad *Despauterium* transeamus.

27. Ah, quis describere satis valet infinite prolixas, perplexas, obscuras, & magna ex parte inutiles Grammaticæ *Despauterianæ* Regulas, quibus misera juventus multos per annos distenditur, & enecatur? Hæc puerorum crux; hæc carnificina, & pistrina dicenda est. Horret profecto animus cogitanti, quantis tenera infantium ætas dilaceretur cruciatibus; quot lancinetur miseriis. Hic nil, nisi rerum omnium chaos: hic cœca, & atra nox puerorum incumbit animis: hic vel perspicacissimæ mentis acies obtunditur: tenacissima memoria obruitur, & acutissimi intellectus sagacitas refellitur.

28. Priusquam vero plura de hoc libro dicamus, omnes & singulos monitos volumus, nos in *Despauterium* nequaquam insurgere. Fuit quidem is vir eruditissimus, necnon in rebus grammaticis versatissimus, & summis linguæ latinæ tunc temporis pessum abeuntis, ac in ruinam properantis instauratoribus accensendus. Negare quidem nolumus, eum libri hujus fuisse authorem; audacter tamen

asserere

asserere non veremur, illum non secundum sua, sed aliorum placita exarasse: aperte enim fatetur in sua ad Syntaxin præfatione, *Multa huic libro inesse, quæ parum, imo nihil ad latinam linguam conferunt.* Et paulo post, *Satis* (inquit) *est, si principales Regulæ cum paucis exemplis discantur.* Et alibi ingenue fatetur se deditâ operâ, & ex proposito librum suum nugis & rebus nihili confertum in lucem edidisse. Ipsissima ejus verba hæc sunt, *Solent* (inquit) *nostrates Grammatistæ multo sudore disputare, an* APPOSITIO, EVOCATIO &c. *sint figuræ, annon; & pleraque alia scholastica nugalia, quæ ipsi solanerunt: ea si nostri discipuli ignorant, asserunt indoctis parentibus eos nihil apud nos profecisse: hæc est causa, cur cum nugatoribus nugor.*

29. Ecce, quam aperte nugatorem se pronunciet, & singulos hanc Grammaticam docentes nugatores esse asserit. Vides (inquam) *Despauterium* nugalia hæc scholastica (ut ipsius utar verbis) nempe *Appositionem, Evocationem,*

Zeugma cum suo Tridente { *Protozeugma, Mesozeugma, Hypozeugma,*

quondam non docuisse, quippe quæ nugas, & res nauci esse sciret. Hinc factum est, ut cum citius, tum facilius discipulos suos instrueret: quod sine omni dubio aliis ludimagistris objiciebatur. Quapropter nugatores isti apud indoctos & omnis scientiæ rudes præsertim *Despauterii* discipulorum parentes optimum virum clanculum mordebant, asserentes, quos ille doceret, prorsus fuisse ignaros, utpote nescirent, quid esset CACORITEPHATON. Invitus ergo temporis malevolentiæ, & fratrum invidiæ cessit vir alioquin docendi peritissimus. HÆC (inquit) EST CAUSA, CUR CUM NUGATORIBUS NUGOR.

30. Magnam profecto, vir literatissime, pusillanimitatis notam tibi inussisti. Cur te terruit susurronum invidia? An quia maleferiatorum hominum odio impar fuisti? Condono, si te leges patriæ ad istud compulerunt. Sed cur Grammaticam hisce minutiis expertem nobis non reliquisti? Hic etiam condono, si vel temporum injuria periit, vel per fratrum invidiam in lucem nunquam prodiit. Saltem principales tuas Regulas à minus principalibus, seu non

non necessariis distinguere oportebat. Nos parem singulis tribuimus honorem, nec ullam agnoscimus non necessariam. Imo imperfectionis & defectus argueris : complures enim alias tuis adjunximus Regulis.

31. Te etiam appello, *Sebastiane.* Cur huic operi manum admovisti, nec hasce quisquilias è scholis eliminasti ? Et, quæ summa in *Despauterium* fuit injuria, illius mentem & consilium nobis non aperuisti. Hoc in toto opere præcipuum erat. Ægre hic me reprimo, quin infidum te appellem interpretem. Tu nostri erroris causa. Tibi dolores omnes & cruciatus accepti referendi sunt. Si *Despauterii* mens nobis comperta fuisset, minutias hasce nequaquam tanto animi ardore defendissemus.

Sed è diverticulo in viam.

32. Non est nobis animus singula hujus libri impedita & absurda recensere : paucula tantum attingemus.

33. Me miserum : in ipsum impegi limen.

Omne, viro soli quod convenit, esto virile ;
Omne viri specie pictum vir dicitur esse.
Esto fœmineum, recipit quod fœmina tantum ;
Fœmina dicatur facie pictum muliebri.

34. Quotusquisque est, qui horum Versuum sensum capiat, aut sæpius repetita verba intelligat. Vix apud poëtas carmen ullum reperias magis abstrusum ; & nemo nescit quàm sit arduum, & difficile rudibus pueris perplexos explicare Versus.

Esto fœmineum, recipit quod fœmina tantum.

——————— i.e. (ut volunt) Nomen mulieris est fœminini generis. Alium certe sensum verba præ se ferunt : sed fiat ex quolibet ligno Mercurius.

Communis proprio quandoque genus lego junctum.
Ex se nullius generis pro nomine sumtum
Est neutrum, ceu litera vox quoque materialis.

35. En Grammaticæ exordium. O quam facilis ad interiora aditus ! Fatemur (inquiunt) spinosas, & perplexas esse Regulas, sed illis subjicitur glossa, quæ difficultates omnes explicet, & obscuritates illustret. Pulchra quidem explicatio ! Quid absurdius esse potest, quam ignotum per ignotius illustrare ? Ad hos tres Versus explicandos

licandos adducuntur, præter complures alias arduas satis phrases, ptemdecim carmina ex poetis abstrusissimis. Et, quod præcipue otari velim, septem sunt ex *Persio* poetarum omnium longe spinossimo. Hæccine Regulæ expositio? Censent viri doctissimi poem hunc è scholis esse ejiciendum, etiam tunc, quum in lingua proectiores sint pueri, & quum commentariorum ope, contextusque uxilio ad sanum aliquem authoris sensum pervenire eos posse veriimile sit. At hypodidascali nostri absque ullo commentario, vel auhoris scopo poetam hunc etiam infantibus enucleare non eruescunt. Callide quidem: nesciunt enim illi quid recte, quid pereram fiat.

36. Deinde, an nil aliud est, quod agamus, quam *Gordios* nobismet ipsis complicemus nodos, quibus dissecandis potius, quam olvendis, nos & alios permultos fatigemus annos? Quid frustra laborem nobis accersimus? Satius est, ut Grammaticæ Præcepta int, quam fieri possit, facillima. Non certe est, quod inde otientur præceptores: satis aliunde habent, quod agant. *Christianæ* Religionis principia pueris sunt exponenda, eorumque animis imprimenda: Multæ, tum sacræ, tum profanæ historiæ, & fabulæ narrandæ, & explanandæ. Communiora Grammaticæ Præcepta vivâ voce inculcanda: peculiares loquendi formulæ illustrandæ, & præ puerorum oculis exponendum, quo pacto absurdæ, & barbaræ phrases evitentur; ut illis immorari, has tanquam *Scyllam* & *Charybdin* declinare sciant. *Geographiæ*, & *Astronomiæ* saltem communiora docenda; sine quibus poetas, aliosque historiarum scriptores intelligere nequeunt. Præterea complures sunt artes, & disciplinæ non minus necessariæ; ut *Arithmetica*, *Musica*, &c. At eheu; quam pauci sunt, qui vel norunt, quid in multis scholis didicerint.

37. Postremo innumeris exemplis à Grammaticæ fine, & scopo prorsus alienis suffarcinantur Regularum glossæ. Unicus ille consideretur locus lib. 5. de Verbis in *do*, ubi novem adducuntur Versus, ut nimirum Verbi *Tendo* cognoscatur significatio. Quid hoc ad rhombum? Cum discitur *Corderius*, an discipulorum interest scire, quam voces habeant significationem apud *Horatium*, & *Virgilium*? Nec notatu indignum est, de Præterito & Supino, quæ illic solum tractantur, nullam in versibus fieri mentionem.

38. Quid omnes percurram Regulas? Multas in medium proferre possem, quas ne vir quidem ingenio quamvis sagacissimo pricaperet, quam ipse author sensum illustret.

Materiam, circa quam proprietas habet esse,
Mobile cum Verbo sexto capit.----
Æquivalens geminis harum si jungitur uni
Dictio, pro reliqua tantummodo debet haberi.
Quam poscendo diu quartum, vel ponito sextum
Cum quovis verbo: secus ablativus adesto.

39. Nescio, an ipse *OEdipus* conjecturam faceret de vocis Su cu significatione: illius tamen solummodo cognitioni innititur Regul admodum necessaria.

40. En aliam puram-putam philosophicam.

Possessum spernit patrium, quo passio fertur.

41. Necesse videtur, ut prius *Logica*, & *Physica* pueris prælegantur, quam hanc adeant Grammaticam.

42. De Regularum expositione ingentes sæpe oriuntur inter præceptores lites, & rixæ. Ingenue fateor complures esse, quas ego construere nescio. Unicam in medium afferam, quam varie à vari interpretatam accepi.

Apponens, conjunge pari casu duo fixa;
Esto res eadem: declaratumque præito.

43. *O Apponens* (inquit quidam) i.e. *o Appositio per Prosopopœiam, conjunge tu duo fixa pari casu, res esto eadem.*

44. *Tu Apponens* (inquit alius) i.e. *tu loquens per figuram Appositionem, conjunge duo fixa pari casu,* &c.

45. *Tu Apponens* (ait tertius) i.e. *tu adjungens duo fixa, conjunge, supple ea, pari casu,* &c.

46. *Conjunge tu* (dixit quartus) *duo fixa pari casu, eadem res est Apponens*, i.e. *Appositio.*

47. Addo ego, *Declaratumque præito*, i.e. *obscuratumque sequatur.*

48. Quid magnam vocum exoticarum farraginem, eamque in ipso Grammaticæ limine, hic memorem? Quales *Zeugma*, *Reate*, *Præneste*, *Tibur*, *Ispal*, *Cære*, *Nepet*, &c.

49. Quid monstrosos istos Grammaticorum partus, & immani

quorunda

quorundam ingeniorum prodigia potius, quam artis Vocabula, quæ velut ingens lemurum, & larvarum turba misere miseros terrificant, & exanimant pueros? *Aptoton*, *Monoptoton*, *Diptoton*, *Triptoton*, *Tetraptoton*, *Pentaptoton*, *Hexaptoton*, &c.

50. Quid ingentem figurarum gregem hic nominem? Qualis *Appositio*, *Evocatio*, *Prolepsis*, *Syllepsis*, *Antiptosis*, *Acyrologia*, *Perissologia*, *Macrologia*, *Cacophaton*, *Cacosyntheton*, *Cacozelia*, cum innumeris aliis, quæ hic recensere piget.

51. Præterea, si libri methodum consideres, sæpe præposterum, & inversum reperies ordinem. Interdum Regulam principalem separatim, nonnunquam una cum paucis exceptionibus descriptam, reliquis in varias classes dispersis; & non raro (quod absurdum est) alterius Regulæ exceptionibus subjectam reperies. Vide Reg. *Hæc dat 4.* Lib. 1. Item *In di sum do bene vertes* Lib. 5.

52. In secunda parte omnes Præpositiones in Regimine Genitivi tractantur; quia nimirum *Tenus* regit aliquando Genitivum. Sic *Pretium* quod ad Ablativi Regimen pertinet.

In tertia parte Carminum genera prius docentur, quam syllabarum quantitates; quasi quis metrum vel scandere, vel condere norit absque quantitatum cognitione.

53. Deinde cum à facilioribus initium semper fieri debeat; en difficiliora hic prius traduntur. Jam monstratum, quot ex *Persio* aliisque poëtis abstrusissimis in ipsa Grammaticæ janua misellis infantibus obtrudantur. Et in secunda parte Figuræ constructionis chorum ducunt.

54. Postremo Regulæ principales à minus principalibus nullâ distinguuntur notâ. Singulæ ex æquo in scholis præscribuntur. At *Despauterius* (ut jam dictum) in præfatione sua monet satis esse, si principales Regulæ cum paucis exemplis discantur. Ast quæ sunt istæ Regulæ? Eodem charactere, iisdem literis singulæ imprimuntur. Nec in glossa exempla à Præceptis charactere differre sæpe reperies. Vide confusum illud vocum indeclinabilium chaos ad finem secundæ partis.

55. Quid

55. Quid pluribus? Si omnia superflua, absurda, falsa & impedita recenserem, in immensum volumen excresceret opusculum. Unum tamen est silentio hic non prætereundum.

Dans a per i Maneo minui facit absque supino.

56. Composita (inquit *Despauterius*) a *Maneo* mutantia *a* in *i* formant Præteritum per *ui* sine Supino; ut *Emineo*, &c. Ast *Emineo* non componitur ex *e* & *maneo*; sed ex *e* & *mineo*, quam vocem non raro legas, ut apud Lucret.

Inclinata minent in eandem prodita partem.

57. Nulla est significationis affinitas inter *Maneo* & *Emineo*; sed *Mineo* & *Emineo* idem fere significant. Deinde *Maneo* format *mansi*, *mansum*; Sic ejus Compositum *Permaneo*. At *Mineo minui* absque Supino; sic *Emineo*. Certo ergo certius constat, *Emineo* non a *Maneo*, sed a *Mineo* originem habere. Fateor equidem istud cum infinitis aliis, de quibus tanquam pro aris, & focis digladiantur Grammatici, nullius esse pretii; quodque in hunc solum finem adduxi, ut quorundam redarguam audaciam, qui confidenter nimis vocum tradunt originem.

58. Unicum aliud adjiciam, quod, quamvis parvi sit momenti, auditu tamen indignum forte non erit.

59. In sexto (inquit *Despauterius*) Versus hexametri loco interdum ponitur Dactylus. Hoc probat ex Virgilio.

At tuba terribilem sonitum procul excitat horrida.

60. Nullum ego non movi lapidem, ut istud invenirem carmen. Sed irritus labor: *Virgilium* iterum, atque iterum per singulos versus diligentissime scrutatus reperire non potui: ne tamen in veteri aliqua editione delitesceret, non paucas ex clarissimis gentis nostræ scholis consului; nec non viros complures doctos, & in re poetica versatissimos. Nullus tamen vel istud ex *Virgilio*, aut ullum aliud carmen Dactylicum ex quovis authore proferre potuit. Reperias quidem apud Virg. *Horrida* & *Sulphura* in fine Versus, sed sequens a Vocali inchoatur: unde secundum vulgarem scholæ opinionem ultima syllaba prioris Versus abscindenda est, & sequenti præponenda. In 6 Æneidos invenias *Omnia* in fine Versus, nec sequens a Vocali exordium sumit. Verum *Omnia* contrahendum volunt in *Omnia*: sic censet *Buchananus*.

61. I

61. In veteri quadam Grammatica latine, gallice, & germanice descripta hoc legi carmen Dactylicum.

Sidera pallida diffugiunt face territa luminis.

62. Verum quis vel Grammaticæ vel Carminis fuerit author, nos latet. Isti enim libro & principium, & finis deerat.

63. Jam solummodo restat, ut Quæstio hæc, *Num satius sit, ut ex Prosa, an Metro Regulæ constent, discutiatur.*

64. Existimant quidam, Metrum tum facilius memoriæ mandari, tum firmius, & tenacius illi inhærere. Ex hisce viris Hebrææ, Græcæ, Italicæ, aut cuivis alii linguæ operam daturis scire velim, an linguæ Præcepta metrice descripta arriderent. Eadem hic ratio.

65. Quid absurdius esse potest, quam materiæ obscuræ obscuriorem superinducere formam? Truculentum esse reor, & flagitii plenum, rem suâ naturâ satis arduam, & tenellis puerulorum ingeniis nimis abstrusam, phraseos & formæ caligine multo reddere abstrusiorem: nescit enim nemo, orationem ligatam solutâ longe esse difficiliorem.

66. Ut omittam ergo perplexam metri formam, & inexplicabilem vocum situm, consideremus tantum, quam infinita artis Vocabula Versuum solummodo gratiâ excogitata scholis introducantur, quibus quantum turbetur memoria, & distrahatur puerorum intellectus, neminem latere puto.

67. Ecce pro Nominativo, *Rectus, Primus*: pro Genitivo, *Patrius, Secundus, Obliquus*: pro Dativo, *Ternus, Tertius Dandi Casus*: pro Vocativo, *Quintus Vocitans*: pro Ablativo, *Sextus, Latinus*: pro Singulari *Prior, Prius Primum*: pro Plurali, *Post, Posterior, Secundus*: pro Masculino, *Hic, Mas, Masculum, Masculeum, Virile*: pro Fœminino, *Hæc, Fœmina, Fœmineum, Muliebre.* Quid plura? En ipsas Regulas. *As dat ium Latiale.* Et alibi, *Um vel ium patrio Latium dat; Græcia vult on.* Ecce hic *Latium*, illic *Latiale* pro voce latina. Miræ sunt vocum significationes in rebus grammaticis. Interdum *Fratres, Socios, Similes, Tales, Pares, Affines, Conformes* pro eodem accipi comperies. *Junge doce & socios.* Et alibi, *Grates dato fratres.* Nec raro audies voces suam habere *Prolem, Sobolem, Stirpem, Natâ, Ortâ, Composita, vel Composta.* Et, quod magis mireris, interdum solas syllabas pro integris vocibus, aliquando

do truncatas, & membratim dissectas miseras videbis voces; *Compescis ut dis. Calet & li.* En *dis* pro *Dispesco*; *li* pro *Liceo*: & alibi *dili* pro *Diligo*: *disyl* pro *Disyllaba*: *Apo nempe cope* pro *nempe Apocope*: *Caco rite phaton* pro *rite Cacophaton*, &c. Jamne vides innumera artis Vocabula metri solummodo gratiâ conflata? Quantum vero discipulis creet molestiæ, tot millia vocum à se invicem distinguere, cuivis præjudicio non laboranti Judicandum relinquimus.

68. Secundo perpendatur, quam imperfecta, & manca sint Grammaticæ Præcepta metrice descripta. Istud ex unica hac Regula manifestum dabimus.

Vult A D *cum sociis quartum velut* A B S Q U E *Latinum.*

69. Duæ solummodo hinc nobis innotescunt ex toto Præpositionum numero, quæ sunt plus minus quinquaginta ex prosa ediscendæ. Cui igitur usui est hic Versus? Quod si quinquaginta hæ voces sine carminis ope edisci possunt, cur non & istæ duæ? Atque hinc est, quod toties erumpat *Despauterius* his verbis.

Cum multis aliis, quæ prosa recludet abunde.
Cum pene innumeris, quæ lectio multa docebit.
Cætera vix versu contingit dicere. ———

70. Postremo negamus Carmina (saltem in hoc negotio) aut æque facile memoriæ committi, vel tenacius inhærere.

71. Primo metrum ægre à pueris intelligi potest, unde fit, ut, intellectu memoriam non adjuvante, admodum difficile sit quicquam ediscere.

72. Secundo Metrum verbatim & ad unguem ediscendum est, prosa non, quoad præsens institutum; sufficit enim, si Regulæ sensus teneatur.

73. Tertio non refert, num vernacule, an latine, num præceptoris, an discipuli verbis Regulæ sensus reddatur, quod ad institutum nostrum plurimum facit.

74. Hæc ipsa argumenta alterum etiam membrum Quæstionis stabiliunt. Quæ enim ægre callemus, oblivioni facile traduntur. Deinde, si vel unica carminis vox memoriæ exciderit, statim excident & reliquæ. At in prosa longe aliter sese res habet. Parum enim refert, quamvis non tantum unius, sed & omnium vocum simus obliti, modo Regulæ ideam, vel umbram retineamus.

75. Sed

75. Sed dato, quod Versus minore cum labore memoriæ insigantur, non tamen inde sequitur præstare, ut Regulæ ex metro, quam prosa constent; ni cætera essent paria.

76. Primo (ut jam dictum) abstrusa, & perplexa est metri forma tum quoad situm, & dispositionem, tum naturam vocum & phrasium; unde necesse est, ut in prosa illustrentur, & enucleentur.

77. Secundo posito, quod Grammatica aliqua in prosa descripta duo habeat millia artis Vocabula: neminem tamen existimo metrice Grammaticam delineaturum, cui quadraginta & ultra Vocabulorum millia non inerunt. Istud cuivis manifestum erit, qui formam, & methodum Grammaticæ Despauterianæ diligentius perpenderit. In prosa stylus est facilis & æqualis, iisdem fere semper constans verbis: e. g. *Nomen viri est masculinum. Nomen mulieris fœmininum; um est neutrum*, &c. At in metro *er, aut or capit, petit, poscit, dat, donat, postulat, optat, habet, præbet, jungitur, dicitur, ponitur, hic, mas, masculum, masculeum, masculinum, virile*, &c. Vide unicam illam Regulam R *capit is*, lib. 2. Quot, quæso, sunt illic Verba idem denotantia; *capere, postulare, efficere, dare, formare, optare, præbere.* Deinde quodque Verbum multis variatur modis: *Ir junges maribus. Jungito fœmineis do, go. Talio jungatur. Quibus jungunt cum cardine bubo*, &c. Præterea perpende, quam obscura sit scribendi formula; *Sed dubitabis margo*, i. e. *Margo est masculini, vel fœminini generis.* Item *Nusquam nomen in i reflecto*, i. e. *Nomen in i nec in singulari, nec in plurali declinatur; Satias dabit ate*, i. e. *Satias habet solum Ablativum.* Infinita hujusmodi afferre in promtu est.

78. Postremo si Regulas ad verbum intelligas, falsissimæ sunt.

Ponere cum Gigno per ui, per itumque locabo.

79. Quis non hinc inferret *Pono, ponui, ponitum; Gigno, gignui, gignitum?* Nemo certe diceret *posui* aut *genui*. Sic *Ro vi tumque dabit*, Hinc *Quæro, quærivi*, vel potius *quærovi, quærotum*, & non *quæsivi, quæsitum.* Sed quid ego istis immoror nugis?

80. His

80. His omnibus subjungi posset universos totius orbis consensus. Centum & ultra possem in medium proferre Grammaticas omnes in prosa descriptas: nec ullam unquam vidi in alia forma, exceptâ hac *Despauterii* & aliâ gallice exaratâ, cui titulus *Nouvelle Methode.* Quasdam esse fateor, in quibus paucos reperias Versus; ut apud *Lil. Anglicanam.*

81. Grammatica illa idiomate gallico in vernacula lingua describitur, unde ad præsens institutum nihil facit. Præterea, si authoris præfationem perlegere libet, reperies, quantopere *Despauterii* metrum carpat, & quam pro suis Versibus, vel potius Rhythmis excusationem habeat.

82. Deinde ausim asserere, *Despauterium* prosam metro præferre; ait enim Lib. 3. de Heter.

Pluraque perfacilis melius quæ prosa recludet.

Et alibi ---- *Facilis docet omnia prosa.*

83. Cur igitur (inquies) in ligata oratione Grammaticam suam exaravit, si soluta magis arrideret? Cur, replico ego, nugis & quisquiliis, ut ipse fatetur, scatet ejus liber? Invitus ille ejusmodi minutias scriptis mandavit; invitus docuit; invitus quoque haud dubie hanc Grammaticæ formam exasciavit.

84. Silentio hic prætereundus non est *D. Georgius Buchananus*, qui quamvis summa artis poeticæ gloria & decus, Prosodiam tamen solutâ oratione in lucem edidit.

85. Hanc dissertationem pluribus diluere visum est, eo quod unica sit, quod sciam, contra institutum nostrum objectio: Omnes, quotquot unquam conveni viros doctos, & docendi peritos, ingenue fatebantur viam nostram ad linguæ latinæ notitiam asperam nimis, & pueris inamœnam esse; iter longum & tædii plenum; & teneram Infantium ætatem omnibus potius illecebris, & blanditiis ad literas alliciendam. Et quum Grammaticæ nostræ formam, & methodum monstrarem, nulli non arridebat. Pauci tantum (è mille vix unus, aut alter) volebant, ut Præcepta metrice describerentur. Quum primum vero prædicta argumenta præ oculis ponerem, omnes, ni fallor, ad unum in nostram adierunt sententiam. Quamvis igitur satis superque de hoc negotio actum sit, liceat tamen alia duo adducere argumenta ab experientia petita.

PRIUS

PRIUS ARGUMENTUM.

86. Poteſt quis etiam infans, linguæ latinæ notitiam adipiſci, idque breviore tempore, & minore cum labore, quam vulgo fieri ſolet, abſque ullo omnino libro, aut præcepto, multo magis ſine metri auxilio.

87. Per totum terrarum orbem celebratur nomen magni illius viri *Michel le Seigneur de Montainge*, qui priusquam ſextum impleret annum, adeo promtè, & expeditè latine loqueretur, ut *Georgius Buchananus, Nicolaus Gruchius, Antonius Muretus*, aliique viri doctiſſimi idiomate latino cum eo congredi metuerent. Atque hanc tantam linguæ perfectionem aſſequutus eſt ſine arte, libro, Grammatica, plaga, aut lacryma. Vide *Eſſais de Montainge*, Lib. 1. Cap. 25.

J'avois ce langage ſi preſt, & ſi à main; qu'ils craignoient à m'accoſter.

88. Ibidem etiam reperies *Buchananum*, qui Comitis *Brixiacenſis* filio tunc præfectus erat, nobilem hunc adoleſcentem poſtea in *Gallia* conveniſſe, eique communicato prius conſilio, promiſiſſe, ſe docendi methodum ſecundum eam formam, quâ *Montainge* inſtructus fuerat, literis mandaturum. Quod ſine omni dubio effecit; ſed iſtud opus una cum multis aliis *Buchanani* ſcriptis temporum malignitate, maximo juventutis damno periit.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

89. Ipſe (quod ſine jactantia dico) juvante *Deo Optimo Maximo*, abſque ulla Grammatica Nobiliſſimum Adoleſcentem, libri noſtri Patronum digniſſimum, linguam latinam docui, idque ſpatio multo breviore, quam vulgo fieri ſolet. Ante annum elapſum de re quavis cum viris etiam doctis latine colloqui non verebatur. Num bene, an ſecus, teſtari poſſunt complures, è quibus non paucos inter confabulandum incongruitatis arguere non erubuit. Ludimagiſter quidam illius Thema perlegens rogavit, cur diceret, *Careo libro*, & non *librum*. Reſpondit, *quia ſic dixerunt Romani. Quid ſi Romani* (inquit alter) *dixiſſent*, CAREO LIBRUM? *Dicerem & ego* retulit ille. Verum *qui noſti tu* (replicat alter) *Romanos ita eſſe locutos? Sic invenio in eorum ſcriptis* (reſpondit ille) *& ſic dicit mihi Præceptor.* Quid pluribus? Adeo promtè, & expeditè ad omnia reſpondit,

spondit, ut Ludimagister, qui viginti passuum millia ad nos visendos venerat, discedens fateretur, nulla fuisse, quæ de eo audierat, præ iis, quæ ipse viderat. Nec tunc multi elapsi fuerant menses à tempore, quo primum huic linguæ operam navare cœpisset.

90. Quæstio autem est, *quæ sit via, & Methodus ad hujus linguæ notitiam brevissima & facillima?* Si qua in hujusmodi rebus experientiæ sit habenda fides, ausim asserere, multo esse breviorem, & faciliorem docendi methodum absque ullo Præcepto scriptis mandato, quam Grammaticæ *Despauterianæ* auxilio. Per aliquot annos non sine magno meo, & discipulorum labore *Despauterii* Regulas exposui, explicavi, &, quod potui, illustravi; magna tamen ex parte irrito conatu. Hanc autem aggressus viam feliciore cum successu procedere omnia inveni; atque plura Præcepta grammaticalia, eaque nec irrita, tradidi vivâ voce uno in die, quam mense uno, aut altero *Despauterianis* adhærens Regulis.

91. Miserrimum certe est, tantum temporis moris nugis conteri. Posito, quod quatuor prius elabantur anni, quam Grammaticæ finis imponatur, invicto possum demonstrare argumento, ex iis tres integros Præceptis puris-putis grammaticalibus impendi. Primo anno, quo Rudimenta discuntur, paucæ admodum septimanæ authoribus legendis tribuuntur. Triennio vero, quo docetur Grammatica, ad minimum dimidium diei in ea exponenda, illustranda, memoriæ mandanda, ratione exigenda absumitur. Deinde matutinis (ut loquuntur) pensis, & disputationibus, quæ ex eadem latina plerumque fiunt, haud exigua temporis pars impenditur. Postremo, tanquam auctarium addimus innumeras superfluas, & prorsus inutiles quæstiones inter authores examinandos; *Da regulam Linea. Quid Adverbium? Da Adverbia negata solitudinis; rei non peractæ. Da Conjunctiones adversativas; adversativarum redditivas. Quid Interjectio? Da Interjectiones vitantis, exultantis, silentium injungentis, &c.*

92. Hisce omnibus rite computatis, tres & ultra conficies annos. Eheu, quanta temporis jactura! quanta studiis mora! Nos sedecim solummodo dies impendimus Rudimentis, nec tot Grammaticæ menses; quot vulgo tribuuntur anni. Præterea perpauci tantum sunt, qui in quatuor annorum spatio Grammaticæ finem faciunt:

cluntur: multi sex, septem, octo, novem, imo decem illi impendunt annos. Postremo quotusquisque est, qui Grammaticam *Despauterianam*, saltem in primo percursu, intelligit? Mille me puto illud interrogasse, nec vel unum memini affirmative respondisse. Hoc testabuntur multa in *Scotia* hominum millia, qui quamvis integram didicerint Grammaticam, ne vel γρῦ jam norunt.

METHODUS
Docendi hanc
GRAMMATICAM.

1. NOn me latet, *benigne Lector*, quanto cum famæ periculo in publicum sic prodeam. Sed jacta jam est alea, calculumque posuimus, nec vadimonium deserere lubet. Factum infectum fieri nequit. Sponte in arenam non descendi: spero igitur, qui mihi erant impulsores, eosdem & auxiliatores futuros. Efflagitarunt complures; alii, ut ipsam, qua nobilem jam manu duxeram puerum, aliis præmonstrarem viam; alii, ut novam compingerem Grammaticam. Difficilius certe, &, spero, utilius suscepi; & hanc qualemcunque Grammaticam in lucem edidi: de cujus forma, & docendi methodo hic pauca præfari visum est.

2. Primo, innumera superflua artis Vocabula, quibus infirma puerorum memoria obruitur, & tenellum ingenium obtunditur, è scholis eliminanda curavimus.

3. Secundo, infinitas arduas, & perplexas phrases, & innumeros abstrusos, & inextricabiles Versus, quorum non pauci in ipso Grammaticæ limine adducuntur, seclusimus.

4. Tertio, Poetismos, Græcismos, aliaque plurima à trita, & vulgari semita declinantia, aut rarius occurrentia, separatim posuimus, & literis minoribus imprimenda dedimus.

5. Quarto, stylo, quam potuimus, facillimo, & ad puerorum

 captum

captum accommodatissimo, omnia descripsimus. Exempla pauca & familiaria, ubi nulla inter Grammaticos de Constructione est contentio; sin de ea ambigitur, ex probatis authoribus adduximus, & diverso semper à Præceptis charactere imprimenda curavimus.

6. Postremo, plurimas breves, faciles, & cuivis obvias columnas & tabulas, quibus multa uno intuitu conspicienda proponuntur, delineavimus.

7. Hactenus de Grammaticæ forma. Jam ad docendi Methodum transeamus.

8. Prima, & præcipua sit præceptorum cura, ut discipuli Nominum declinationes, & Verborum conjugationes tanquam suos ungues calleant.

9. Regularia tantum intelligo. Pronomina, seu irregularia Nomina, & Verba per septimanas aliquot prætermittas: nam illæ totius linguæ sunt fundamentum, & basis; hæ voces tantum particulares, quæ ad tempus latere possunt, ut magis necessaria firmius, & tenacius memoriæ infigantur.

10. Præterea haud incommodum videtur, prius docere voces activas, *Amo, Doceo, Lego, Audio*; deinde passivas. Atque hinc est, quod in multis Grammaticis eas una descriptas reperias.

11. Tempora à Verbo *Sum*, & Participio suppleta ad constructiones pertinent; nec hujus loci est, Nomina una cum Verbis flectere. Eodem postea discetur labore, variare *Amatus*, vel *amatus sum*; quo *Bonus*, & *bona sum*; ut bene notarunt *Ramus*, *Sanctius*, *Sciopius*, aliique viri in his studiis versatissimi. Quod si quis contendat hæc Tempora hic esse varianda; hoc consulo, ut auxiliare Verbum *Sum* prius doceatur, quam Verba passiva.

12. Tempora quoque à Præterito perfecto formata in ultimis tribus conjugationibus reiteranda non sunt; quum eodem prorsus modo se habeant, ac in prima; ut alibi probatum. Verum quorundam indulgentes genio hæc descripsimus, sed charactere diverso; ut cuilibet ea vel docere, vel omittere liceat.

13. Adverbia, Conjunctiones, Interjectiones, & Præpositiones sub unico nomine *Voces indeclinabiles* nuncupantor. Hæc nostra propria non est opinio. Ita censent viri doctissimi. Vide præfationes ad Grammaticam, cui Titulus *Nouvelle Methode*, & *Abregé de la Nouvelle Methode*.

14. Re-

14. Reprehendet me forte aliquis, quod Paradigma primæ declinationis vernacule non converterim; quod pro *Litera Penna* substituerim; quod Subjunctivum Imperativo præposuerim; quod *Amet, amemus*, & *ament* in Subjunctivo solum descripserim.

15. 1. Lingua latina admodum raro nostræ in articulis respondet, ideoque in vernaculam non convertimus. 2. *Litera* est vox æquivoca, & heteroclita; nec norunt infantes quid significet, num Idem, quod *Epistola* an *A B, C*, &c. 3. Subjunctivus est modus integer, Imperativus quasi mancus, & mutilus: satius igitur duximus Indicativum una cum Subjunctivo; Imperativum cum Infinitivo locare. Postremo, cum *Amet, amemus*, & *ament* in Subjunctivo repetantur, idque in eadem significatione, ut alibi monstratum, supervacuum nobis visum est bis describere, multo magis quater, aut quinquies; prout in vulgaribus Rudimentis factum vides. Et, cur *Ludamus nos*, Let us play, sit Imperativi; & *Ludam ego*, Let me play, Subjunctivi, non equidem video. At supprimitur (inquies) Verbum aliquod principale, unde *Ludam* regatur. e. g. *Placetne, ut ego ludam?* Quidni etiam, *Placetne, ut nos ludamus?* De similibus simile sit judicium.

16. Finito Vestibulo, flectendis familiaribus vocibus, & variandis brevibus phrasiunculis discipuli per paucas septimanas prius exerceantur, quam ad Grammaticam accedant: si enim vivâ voce communiora Præcepta doceantur, reliqua facile innotescent.

17. Prima pars nullo fere negotio disci potest. Satis erit, si discipuli eam sæpius perlegant; deinde alii alios sic rogent: *Finita in* ER, *aut* OR *cujus generis?* resp. *Masculini.* Vel LIBER, *aut* AMOR *cujus generis?* resp. *Masculini.* Itidem DICO *in Præterito & Supino?* resp. *Dixi, dictum.* Vel, *Unde* DIXI, *aut* DICTUM? resp. *a Dico*, &c. Primo Regulæ generales, deinde exceptiones discantur. Nec est, quod idem servetur ordo in docendo, quem in describendo vides. A primo Capite prioris libri (si placet) ad Verborum Themata in libro secundo transire licet.

18. Interim ad faciliora, & communiora secundæ partis accedas. Longe errant, qui omnes Constructiones, quæ in Rudimentis nostris traduntur, prius docent, quam unica in prima parte prælibetur Regula. Nec minus errarent, qui integram primam docerent prius,

quam ad secundam perveniatur. Pari fere passu utraque incedere debet. Prius quidem flectendæ sunt voces, quam construendæ: non tamen necesse est, ut singulas prius declinare, quam ullas in oratione construere sciamus.

19. Imprimis rogamus, ne poetismi, græcismi, aliaque plurimarius occurrentia, quæ tanquam Annotationes, seu Appendices Regulis, & Glossis in minore charactere subjunximus, discipulis obtrudantur, donec mediocrem linguæ notitiam assecuti fuerint: sæpe enim evenit, ut priorum notitia à posterioribus dependeat. Illud videas in ipso primæ partis limine; ubi post primas tres Regulas necessariò agendum est de Generibus communi, & dubio; quorum cognitio magna ex parte à terminationibus postea traditis petenda est; e.g. *Aquila* fœmininum est; quia finita in *a* primæ declinationis fœminina sunt: *Passer* masculinum; quia finita in *er* masculina sunt, &c. At de his nihil audierunt discipuli; inde igitur non sunt petenda argumenta. Quare discrimen istud inter Genus dubium, & commune, quod tribus primis Regulis subjecimus, sicco pede transeundum est. Idem de similibus esto judicium.

20. Non ab re tamen erit, si quid inter legendum Regulis contrarium occurrat, monstrare à trita semita deflecti, & per figuras in hunc finem singulis Annotationibus præfixas, discipulos ad illud manu-ducere; ita ut, si in tertia, aut quarta est Annotatione, non opus sit primam, vel secundam perlegere.

21. Fatemur quidem, nonnullas esse Regulas minoris forte usûs, quam quædam ex Annotationibus. Verum cum istæ Regulæ ab aliis non dependeant, Annotationibus immisceri commode non potuerunt. Et contra, ne Regularum glossæ longæ nimis essent; pauca, licet usitatiora inter Annotationes tradidimus, ludimagistrorum curæ relinquentes Regulas illas cursim transire, & Annotationibus immorari.

22. Omnes ridiculæ, & futiles Quæstiones tanquam scholarum pestes vitantor. Hæc generalis sit Regula.

23. *Nulla discipulis proponatur Quæstio, cui vir doctus, & in Præceptis grammaticis satis versatus respondere nescit.*

24. In Grammatica quadam hanc legi Quæstionem, *Quot modis vernacula hæc dictio* FOR *latine exprimi potest?* resp. *Viginti quatuor modis.* Quæ verba ut primum perlegissem, statim non sine risu oculos averti, ut de me periculum facerem: &, ut, quod res est, fatear, vix uni aut alteri ex omnibus viginti quatuor interrogatiunculis satisfacere in promtu erat. Similem Quæstionem reperias apud nugatorum omnium nugacissimum *Lightbodium*, Cap. 10. *Substantiva quotuplicia regunt Genitivum?* resp. *Viginti quadruplicia.*

25. Novi in quibusdam scholis hujusmodi agitari Erotemata; *Quot sunt Adverbia temporis, numeri; qualitatis;* &c. Eodem jure interrogare licet, *Quot sunt crines in capite?* Et quo absurdius nil excogitari potest, eodem ordine respondendum est, quo in libro disponuntur; quamvis id forte fortuna plerunque fiat.

26. In discipulorum commodum magis cederet, interrogare, quo modo hæc, aut illa oratio latine reddi possit; & commonstrare, quot modis variare liceat. Vid. Tabulam de Supino in *um* Regim. Accus. *Ivit domum visum, ut videret, causa videndi*, &c. Discipuli similem variare discant; qualis est Buch. ps. 1. *Dicere jus veniet*, sic, *Veniet dictum, ut dicat, causa dicendi, ad dicendum, dicturus, & dicere jus.* Monstretur quid vulgo, quid raro, quid poetice, quid ornate dicatur; &, quod Gerundium & Gerundivum hic coincidant, eo quod *Jus* sit neutri generis. Item, *Abi domum scriptum, ut scribas, causa scribendi, ad scribendum, ad scribendam, scripturus, & scribere epistolam.* Hanc unicam loquendi formulam si discipuli variare sciant, multa orationum millia inde haurire possent. Atque præcipue notandum est, potius ad Exemplar, quam ad Regulam recurrendum esse, quoties alicujus Præcepti non reminiscantur discipuli.

27. Exempla primæ partis in linguam vernaculam non convertimus, doctissimorum secuti sententiam. Absurdius nil esse potest, quam more psittacorum sigillatim voces memoriæ committere? *Nihil aliud est*, (inquit quidam) *quam ex arena funem contexere.* Hoc pro certo constat, nobilissimum libri nostri Patronum intra paucas septimanas innumeras calluisse voces, quamvis ne unicam quidem ex ulla hauserit Grammatica. Quid dico voces? phrases, & sententias callebat, nec memoriæ tantum, sed judicio, & intel-

lectui mandarat. Quid multis? ad Grammaticam non spectat vocum tradere significationes. Si sciam finita in *um* esse Neutra, nequaquam inde sequitur necesse esse, ut sciam, quid significet *Templum*. Et quamvis unicum istud norim, reliqua omnia in *um* me latent. Præterea, alienis implicari rebus puerorum avocat animos ab ipso Grammaticæ scopo, & fine. Semper præ oculis habendum aureum istud dictum HOC AGE. Deinde Exempla nostra admodum pauca sunt, & familiaris; unde non est, quod vernacule reddantur. Postremo, nullus, qui *Despauterii* docet Grammaticam, me hac in re incusare debet: ubi enim Ego centum, Ille mille habet vocum, quæ vernacule non redduntur.

28. Expeditior, & brevior ad verborum, & sententiarum copiam via, & methodus est, legere, & relegere colloquia familiaria. Hinc authoris scopus, & verborum contextus vocum significationes, licet ante inauditas, tibi suggerent. Nec nuda tantum, & inania edisces vocabula; sed lepidas, pulchras, ac utiles fabulas, & historias.

29. Fateor equidem, non ab re esse, sæpius perlegere libellos latine, & vernacule conscriptos: cujusmodi sunt *Corderii* colloquia à *D. Carolo Hool Anglo* in linguam vernaculam translata, vel pueriles ejus consabulatiunculæ; aut Sermones pueriles *D. Joannis Clark* etiam *Angli*. Nec rejiciendum est limatissimum illud *Comenii* opus, *Linguarum Janua*.

30. Merito forte à quibusdam reprehendar, quod *Vestibulum* in lingua vernacula non ediderim. Complures, fateor, viri in literis versatissimi istud à me rogabant. Inter quos unus (cui in omnibus non obtemperare mihi religio est) nunquam non cessabat, quoties hac de re esset sermo, asserere absurdius nil esse, quam ut Grammatica in ignota lingua discenda pueris proponatur. *Cui mortalium* (alebat Ille) *literas Hebraicas discenti arrideret Grammatica hebraicè delineata; aut Græcas discenti græcè descripta? Par hic ratio. Præterea, si in nota ederetur lingua, multi adolescentes, & viri, quibus per negotia scholis interesse non vacat, ad mediocrem saltem linguæ latinæ notitiam pervenire possent: cujusmodi sunt Medicorum, & Pharmacopolarum servi, & famuli, quibus vel rudis cognitio haud parum prodesset.* Quid pluribus? Adeo invictis sæpe me urgebat argumentis,

mentis, ut aliud responsum in promtu non esset, quam, quod multos de re consuluissem ludimagistros, nec unus esset, cui Grammatica latine potius, quam vernacule conscripta non arrideret. Ille hoc non contentus instabat, ut non solum Vestibulum sed & prima, & secunda Grammaticæ partes anglicè describerentur. Tandem supplex rogavi, ut prius permitteret hanc in lucem emitti; postea, si placeret, aliam me delineaturum promisi.

31. Ut meam hac de re sententiam proferam, fateor absurdius nil esse, quam Rudimenta ejusmodi, quæ hodie à juventute teruntur, latine concinnari. Verum, si Vestibuli nostri formam, & methodum diligentius perpendas, parum interesse reperies, latine, an vernacule scribatur: nam ne unicum fere ei inest Vocabulum, quod magis perspicuum vernacule, quam latine reddi potest. Quid discriminis inter *Nominativus*, & Nominative: *Substantivum*, & Substantive: *Verbum*, & a Verb: *Indicativus modus*, & Indicative mood: *Participium*, & a Participle: *Adverbium*, & an Adverb: *Interjectio*, & an Interjection, &c.

32. Præterea, duplex esset labor prius docere ista anglice proferre; postea latine.

33. Quod si Vestibulum in ignota lingua delineari possit; multo magis Grammatica, præsertim, si brevis, & perspicua sit, & eâ consistet formâ, & methodo, ut difficiliora ad tempus commode prætermitti possint.

34. Qui tamen latinæ linguæ notitiam proprio marte acquirere velint, Grammaticam vernaculam consulant.

35. Quum primum promtius latine loqui, & authores faciliores intelligere pueri incipiant, ad tertiam partem adeant.

36. Præposterus fuit ordo in omnibus fere scholis prius docere Versus scandere, quam ulla de vocum quantitate notitia habeatur. Ideoque nos Carminum genera quantitatum cognitioni subjecimus. Complura autem tradidimus non eo animo, ut omnia in scholis prælegantur: Sufficiet, si tria, vel quatuor genera doceantur; quæ si quis intelligat, reliquorum notitiam propriâ acquiret industriâ: sin minus, oleum & operam perdes, cætera si doceas.

37. A facilioribus fiat initium. Si placet, ab *Adonico*, quod cuivis millies uno in die vel de improviso excidet. Deinde ad *Pherecratium*,

erratium, quod ſit, ſi *Adonico* Spondæum præponas. Vel ab *Ar*
lochio incipies, inde ad *Alcmanium*. Hoc pacto neminem
Muſis eſſe exoſum credo, quin aliquod ſaltem carminis genus c
dere queat. At, ut nunc fit, nullus fere eſt, qui artem poeticam
ſuperficie tenus callet.

38. Ut nec in prima, nec ſecunda, multo minus in tertia Gra
maticæ parte Regulis immorandum eſt. Uſu plurima ſcimus, idq
æque certo, ac Præcepto, aut Regulâ: quod invicto demonſtr
poſſum argumento. Quis neſcit *pi* in *Capitis* brevem eſſe, æq
pi in *Lapidis*? At prius ſolo uſu & conſuetudine nobis innoteſc
Nullam in *Deſpauterio* habemus Regulam de cremento hujus voc
&, quod forte mireris, neminem (quod ſciam) unquam conve
qui hanc Regulam vel deſiderarit. Quondam virum haud parum do
ctum, & qui Regulas omnes *Deſpauterianas* longo uſu tanquam ſu
ungues callebat interrogavi, quanta eſſet *pi* in *Capitis*. Ille tam
non mirabatur, quod tam facilem ſibi proponerem Quæſtione
Urgebam tamen, ut Regulam aſſignaret. Ille prius cœlum, dein
terram paulisper intuitus, tandem multo ſuffuſus rubore ait, *Regu*
mihi nunc non occurrit: cras tibi exhibebo. Cui ego, *octiduum*, in
quam, *concedo, ut unicam hanc in Deſpauterii Proſodia reperias Re-*
gulam. Placuit conditio; & domum diſceſſit, ubi non Regul
tantum, ſed omnes ſyllabas, & literas in *Deſpauterii* Proſodia dili-
genter ſcrutatus illius Regulæ ne umbram quidem invenit. Octavo
ego reverſus die confitentem habui reum.

39. Ac revera quiſquis rem diligentius perpenderit, reperiet non
ex Regulis, aut Præceptis, ſed uſu, & conſuetudine pendere totam
fere linguarum cognitionem. Quæro, unde ſcias *Coma* formare *coma*
in Genitivo, & non *comatis*, ſicut *Comma*? aut *Pectus pectoris*, &
non *pecti*, ut *Ventus venti*? Item *Clamo*, *clamavi*, *clamatum*, & no
clamui, ut *Vomo vomui*, &c. In omnibus, quæ extant, Grammati-
cis nullam reperies Regulam, quæ te iſta doceat. Regulæ ſuppo-
nunt *Coma* eſſe primæ declinationis, *Pectus* tertiæ; *Clamo* primæ
conjugationis, &c. Iſta uſu, & diligenti inter legendum obſerva-
tione innoteſcunt. Dictionaria quidem nos ea docent; aſt raro
conſuluntur.

40. Nobis animus non eſt integram docendi methodum hic
deſcribere,

describere, nec scholarum vitia carpere. Unum tamen est, quod silentio præterire non libet; quod nimirum cogantur discipuli authores in Prosa descriptos memoriæ mandare. Quantopere hinc impeditur studiorum cursus, dici non potest. Vulgo præscribuntur sex, aut septem ex Corderio phrasiunculæ, uno in die ediscendæ: quum revera facile legi, & relegi sæpius possint complura Colloquia; si paucas in initio excipias septimanas. Et, quod miserum est, nullus fere novit, quid quotidie discat: nec mirum; plenum enim, genuinumque authoris sensum pueri non callent. Unde, quæso, habeant? An à paucis voculis, & phrasiunculis? Nec recordari queunt, quid pridie disceretur. Qui, inquam, fieri possit, ut quisquam *Terentii*, aut similis cujusvis authoris ex paucis versiculis teneat sensum?

41. Hæc igitur servetur Methodus. Ut primum *Corderii* mediocrem pueri habeant notitiam, ad *Erasmum* promoveantur: quotidie tamen *Corderium* revisant; & Colloquia quædam in eo relegant. Pariter cum ad *Terentium*, aut alium aliquem Authorem difficiliorem accesserint, *Erasmum*, aut Authorem aliquem, facilem indies revolvant; quem cursim perlegere sufficiet: quamvis enim perfectum, & plenum Authoris sensum in initio non capiant, brevi tamen eveniet, ut librum quemvis, licet difficiliorem, vel perlegendo intelligant.

42. Ut tamen ad ista attentiores reddantur, non ab re erit, omnia Adagia, & phrases selectiores memoriæ mandare; quæ una cum fabularum & historiarum summa coram tota schola recensere operæpretium erit. Sed hic oportet Præceptores discipulis præire, & viam monstrare, quo scilicet modo libri sint perlegendi, quæ in iis Adagia, quæ sententiæ, quæ particulares loquendi formulæ, & idiomata linguæ latinæ propria. Præceptoribus, inquam, incumbit frequentes habere orationes. Nunc historiæ, nunc fabulæ narrandæ; nunc barbaræ phrases monstrandæ; nunc de Grammaticæ forma, & methodo, de artis Vocabulis, de Præceptis, & Regulis disserendum. Imprimis vero Geographiæ, & Astronomiæ saltem rudis descriptio est proponenda. Frustra *Cæsar*, frustra *Curtius*, frustra omnes fere Poetæ in scholis præleguntur, nisi aliquam Astronomiæ & Geographiæ discipuli habeant notitiam. Mera sunt illis somnia, cum audiant *Cæsarem* in *Galliam*, aut *Hispaniam* abiisse; in *Africam*

navigasse;

navigasse; in *Britaniam* trajecisse; & rursus in Continentem rediisse. Quid de innumeris Poetarum locis hic dicam, quos harum disciplinarum rudes capere non possunt? Habeant igitur singulæ scholæ (saltem frequentiores) proprias mappas, & globos. Hæc puerorum animos delectant; hæc ingenium acuunt, judicium, & intellectum augent; &, ut verbo dicam, ex infantibus viros reddunt.

43. Postremo loco, haud incommodum judicamus, ut tota Grammatica tabulis depicta scholarum parietibus affigatur. Hic prima, illic secunda declinatio: hic Nomina, illic Verba irregularia; hic Genitivi, illic Dativi Regimen; hic barbaræ, & absurdæ omnes phrases, subscriptis melioribus; illic sapientum Adagia, & sententiæ selectiores, &c. Quæ omnia præceptoris, vel discipulorum cura delineentur. Ne tamen ultra mensem parietibus affixæ permaneant; succedant aliæ cum additione, aut mutatione aliqua. Fato enim, nescio quo, evenit, ut, si res quævis diutius conspicienda proponatur, non solum non observetur, sed nauseam quandam, & fastidium pariat. Atque hinc etiam fiet, ut discipuli istis sæpius depingendis occupati totam Grammaticam ad amussim calleant. Præterea, commentum est maxime idoneum ad acuenda puerorum ingenia in excogitandis columnis & tabulis summam totius Grammaticæ continentibus.

POSTSCRIPTUM.

1. DEsiderabit forte aliquis quartam Grammaticæ partem. Nobis certe difficile non fuit, eam non tantum in quatuor, sed quinque, sex, septem, aut etiam plures partes distribuisse. Verum istam, quæ vulgo pro quarta habetur, Rhetoricam statuendam esse judicamus. Fatemur, quasdam esse figuras Grammaticæ proprias, quas in singulis partibus tractatas reperies. Sed, si quis adeo sit morosus, ut imperfectam existimet Grammaticam, quæ quatuor non constet partibus; unius vicem subeat *Orthographia* nostra; ubi agitur de literarum numero, divisione, potestate, pro integris

gris

ris vocibus, & numeris positione ; syllabarum legitima distinctione ; phrasium , & sententiarum interpunctione, &c. de quibus ne vel γρυ apud *Despauterium* nostrum reperies.

2. Complures obnixe me rogarunt, ut de hac Quæstione, *Num publica, an privata institutio sit præferenda*, aliquid scriberem. De qua cum sæpius cogitassem, & utriusque tum commoda, tum incommoda æquâ pensitassem trutinâ, reperi longiorem requirere disputationem, quam nostrum ferebat institutum. Ideoque nihil potius, quam pauca de ea dicere statui. Ut tamen meam qualemcunque hac in re sententiam proferam, *publicam privatæ anteponendam censeo*.

VESTIBULUM GRAMMATICÆ.



Literæ *a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, u, x.*

a, e, i, o, u. Vocales; reliquæ Conſonantes. Sed de literis alibi.

Ex literis fiunt *Syllabæ*, ex ſyllabis *Dictiones.*

Dictio eſt *declinabilis*, vel *indeclinabilis.*

Declinabilis eſt *Nomen*, vel *Verbum.*

Nomen declinatur per *Genera, Caſus, Numeros.*

Genera: *Maſculinum, Fœmininum, Neutrum.*

Caſus: *Nominativus, Genitivus, Dativus, Accuſativus, Vocativus, Ablativus.*

Numeri: *Singularis, Pluralis.*

Nomen eſt *Subſtantivum*, vel *Adjectivum.*

Prima Declinatio.

		Sing.		Plur.
Nom.		Penna,		pennæ,
Gen.		pennæ,		pennarum.
Dat.		pennæ,		pennis.
Acc.		pennam,		pennas.
Voc.		penna,		pennæ.
Abl.		penna.		pennis.

Secunda Declinatio.

		Sing.		Plur.
Nom.		Liber,		libri.
Gen.		libri,		librorum.
Dat.		libro,		libris.
Acc.		librum,		libros.
Voc.		liber,		libri.
Abl.		libro,		libris.

Case	Sing.	Plur.
Nom.	Templum,	templa.
Gen.	templi,	templorum.
Dat.	templo,	templis.
Acc.	templum,	templa.
Voc.	templum,	templa.
Abl.	templo,	templis.

Tertia Declinatio.

Case	Sing.	Plur.
Nom.	Pater,	patres.
Gen.	patris,	patrum.
Dat.	patri,	patribus.
Acc.	patrem,	patres.
Voc.	pater,	patres.
Abl.	patre,	patribus.

Case	Sing.	Plur.
Nom.	Sedile,	ſedilia.
Gen.	ſedilis,	ſedilium.
Dat.	ſedili,	ſedilibus.
Acc.	ſedile,	ſedilia.
Voc.	ſedile,	ſedilia.
Abl.	ſedili,	ſedilibus.

Quarta Declinatio.

Case	Sing.	Plur.
Nom.	Fructus,	fructus.
Gen.	fructûs,	fructuum.
Dat.	fructui,	fructibus.
Acc.	fructum,	fructus.
Voc.	fructus,	fructus.
Abl.	fructu,	fructibus.

Quinta

Quinta Declinatio.

Nom.	*Sing.*	Res,	*Plur.*	res.
Gen.		rei,		rerum.
Dat.		rei,		rebus.
Acc.		rem,		res.
Voc.		res,		res.
Abl.		re,		rebus.

ADJECTIVA
Primæ & secundæ declinationis.

		Masc.	*Fæm.*	*Neut.*				
N.	*S.*	Bonus,	a,	um;	*P.*	i,	æ,	a.
G.		boni,	æ,	i;		orum,	arum,	orum.
D.		bono,	æ,	o;		is,	is,	is.
A.		bonum,	am,	um;		os,	as,	a.
V.		bone,	a,	um;		i,	æ,	a.
A.		bono,	a,	o;		is,	is,	is.

ADJECTIVA
Tertiæ declinationis.

		Masc.	*Fæm.*	*Neut.*				
N.	*S.*	Felix,	lix,	lix;	*P.*	ces,	ces,	cia.
G.		felicis,	cis,	cis;		cium,	cium,	cium.
D.		felici,	ci,	ci;		cibus,	cibus,	cibus.
A.		felicem,	cem,	lix;		ces,	ces,	cia.
V.		felix,	lix,	lix;		ces,	ces,	cia.
A.		felice *vel* felici,				cibus,	cibus,	cibus.

N.	S.	Omnis,	is,	e;	P.	es,	es, ia.
G.		omnis,	is,	is;		ium,	ium, ium.
D.		omni,	i,	i;		ibus,	ibus, ibus.
A.		omnem,	em,	e;		es,	es, ia.
V.		omnis,	is,	e;		es,	es, ia.
A.		omni,	i,	i;		ibus,	ibus, ibus,

IRREGULARIA NOMINA
vel Pronomina.

N.	S.	*Ego,*	P.	*nos.*	N.	S.	*Tu,*	P. *vos.*
G.		*mei,*		nostrum. nostri.	G		*tui,*	vestrum. vestri.
D.		*mihi,*		*nobis.*	D.		*tibi,*	*vobis.*
A.		*me.*		*nos.*	A.		*te,*	*vos.*
V.		deest,		deest.	V.		*tu,*	*vos.*
A.		*me,*		*nobis.*	A.		*te,*	*vobis.*

N.	S.	*Hic,*	*hæc,*	*hoc;*	P.	*hi,*	*hæ,*	*hæc.*
G.		*hujus,*	*hujus,*	*hujus;*		*horum,*	*harum,*	*horum.*
D.		*huic,*	*huic,*	*huic;*		*his,*	*his,*	*his.*
A.		*hunc,*	*hanc,*	*hoc;*		*hos,*	*has,*	*hæc.*
V.		deest;				deest.		
A.		*hoc,*	*hac,*	*hoc;*		*his,*	*his,*	*his.*

N.	S.	*Is,*	*ea,*	*id;*	P.	*ii,*	*eæ,*	*ea.*
G.		*ejus,*	*ejus,*	*ejus;*		*eorum,*	*earum,*	*eorum.*
D.		*ei,*	*ei,*	*ei;*		*iis,*	*iis,*	*iis.*
A.		*eum,*	*eam,*	*id;*		*eos,*	*eas,*	*ea.*
V.		deest.				deest,		
A.		*eo,*	*ea,*	*eo;*		*iis,*	*iis,*	*iis.*

N.	S.	*Idem,*	*eadem,*	*idem;*	P.	*iidem,*	*eædem,*	*eadem.*
G.		*ejusdem,* &c.				*eorundē,*	*earundē,*	*eorundē*
D.		*eidem,*	*eidem*	*eidem;*		*iisdem,*	*iisdem,*	*iisdem.*
A.		*eundem,*	*eandem,*	*idem;*		*eosdem,*	*easdem,*	*eadem.*
V.		deest.				deest.		
A.		*eodem,*	*eadem,*	*eodem;*		*iisdem,*	*iisdem,*	*iisdem*

N.	S.	*Quis,*	*quæ,*	*quod,*	P.	*qui,*	*quæ,*	*quæ.*	
G.		*cujus,*	*cujus,*	*cujus,*		*quorum,*	*quarum,*	*quorum.*	
D.		*cui,*	*cui,*	*cui,*		*queis* vel *quibus,* &c.			
A.		*quem,*	*quam,*	*quod,*		*quos,*	*quas,*	*quæ.*	
V.		deest.				deest.			
A.		*quo,*	*qua,*	*quo,*		*queis* vel *quibus,* &c.			

Quis, Quæ, Quod est Interrogativum ; *Qui, Quæ, Quod* Relativum ; *Quid* Nomen Substantivum.

Nom. & Voc.	Sing. & Plur.	deest.
Gen.		*sui.*
Dat.		*sibi.*
Acc. & Abl.		*se.*

Ille, illa, illud ; Iste, ista, istud ; Ipse, ipsa, ipsum ; Alius, alia, aliud habent *ius* in Genitivo , & *i* in Dativo ; ut, *Istius* , *isti*, &c. reliqui Casus, ut *Bonus, a, um* ; nisi quod in Vocativo raro, vel nunquam legantur. De cæteris alibi.

VERBUM.

Verbum conjugatur per *Tempora, Modos, Numeros, Personas.*

Tempora : *Præsens, Imperfectum, Perfectum, Plusquamperfectum, Futurum.*

Modi ; *Indicativus , Subjunctivus , Imperativus , Infinitivus.*

Numeri : *Singularis, Pluralis.*

Personæ in singulari, *Ego, Tu, Ille* ; in plurali, *Nos, Vos, Illi.*

PRIMA CONJUGATIO.

Indicativus.

I love , Thou loves, He loves, We love,

Præs. *Ego* amo, *Tu* amas, *Ille* amat ; *Nos* amamus,

Ye love, They love.
Vos amatis, *Illi* amant.
I was loving, thou was loving, &c.
Imp. amabam, bas, bat; bamus, batis, bant.
I have loved, thou has loved, &c.
Perf. amavi, visti, vit; vimus, vistis, verunt *vel* vere,
I had loved, &c.
Plus. amaveram, ras, rat; ramus, ratis, rant.
I shall love, or I will love, &c.
Fut. amabo, bis, bit; bimus, bitis, bunt.

SUBJUNCTIVUS.

Si amem, If I love, &c. *ut in Indicativo.*
Præs. amem, mes, met; memus, metis, ment.
Imp. amarem, res, ret; remus, retis, rent.
Perf. amaverim, ris, rit; rimus, ritis, rint.
Plus. amavissem, ses, set; semus, setis, sent.
Fut. amavero, ris, rit; rimus, ritis, rint.

IMPERATIVUS.

love thou, let him love, love ye, let them love.
Præs. {ama, amato,} amato; {amate, amatote,} amanto.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* amare; to love.
Perf. & *Plus.* amavisse; to have loved.
Fut. amaturus esse, about to love.

Gerundia, {amandum; to love. amandi; of loving. amando; in loving.}

Participium Præsentis temporis, amans; loving.
Supinum, amatum; to love.
Participium Futuri temporis, amaturus; about to love.

VO

VOX PASSIVA.

INDICATIVUS.

I am loved, thou art loved, he is loved, &c.

Præs. amor, aris *vel* are, atur; amur, amini, antur.

I was loved, &c.

Imp. amabar, baris *vel* bare, batur, bamur, bamini, bantur.

Perf. *amatus sum* vel *fui*, *amatus es* vel *fuisti*, *amatus est* vel *fuit*, *amati sumus* vel *fuimus*, *amati estis* vel *fuistis*, *amati sunt*, *fuerunt* vel *fuere*.

Plus. *amatus eram* vel *fueram*, *amatus eras* vel *fueras*, *amatus erat* vel *fuerat*, *amati eramus* vel *fueramus*, *amati eratis* vel *fueratis*, *amati erant* vel *fuerant*.

I shall be loved, or I will be loved, &c.

Fut. amabor, beris, *vel* bere, bitur; bimur, bimini, buntur.

SUBJUNCTIVUS.

Si amer, If I be loved, &c. *ut in Indicativo.*

Præs. amer, eris *vel* ere, etur; emur, emini, entur.

Imp. amarer, reris *vel* rere, retur; remur, remini, rentur.

Perf. *amatus sim* vel *fuerim*, *amatus sis* vel *fueris*, *amatus sit* vel *fuerit*; *amati simus* vel *fuerimus*, *amati sitis* vel *fueritis*, *amati sint* vel *fuerint*.

Plus. *amatus essem* vel *fuissem*, *amatus esses* vel *fuisses*, *amatus esset* vel *fuisset*, *amati essemus* vel *fuissemus*, *amati essetis* vel *fuissetis*, *amati essent* vel *fuissent*.

Fut. *amatus fuero*, *amatus fueris*, *amatus fuerit*; *amati fuerimus*, *amati fueritis*, *amati fuerint*.

IMPERATIVUS.

be thou loved; let him be loved; be ye loved, &c.

Præs. {amare, amator,} amator, amamini, amantor.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* amari; to be loved.
Perf. & *Plus.* amatus esse *vel* fuisse; to have been loved.
Fut. amatum iri, *vel* amandus esse; about to be loved.
Supinum, amatu; to be loved.
Participium præteriti temporis, amatus; loved.
Participium futuri temporis, amandus; about to be loved, or who will be loved.

SECUNDA CONJUGATIO.

INDICATIVUS.

Præs. Doceo, ces, cet; cemus, cetis, cent.
Imp. docebam, bas, bat, bamus, batis, bant.
Perf. docui, *isti, it, imus, istis, erunt* vel *ere.*
Plus. *docueram, ras, rat; ramus, ratis, rant.*
Fut. docebo, bis, bit; bimus, bitis, bunt.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. doceam, eas, eat; eamus, eatis, eant.
Imp. docerem, res, ret; remus, retis, rent.
Perf. *docuerim, ris, rit; rimus ritis rint.*
Plus. *docuissem, ses, set; semus, setis sent.*
Fut. *docuero, ris, rit; rimus, ritis, rint.*

IMPERATIVUS.

Præs. {doce, doceto,} doceto, {docete, docetote,} docento.

IN-

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* docere.
Perf. & Plus. *docuisse.* Fut. *docturus esse. Docendum, docendi, docendo. Docens. Doctum. Docturus*, ut in prima Conjugatione.

VOX PASSIVA.

INDICATIVUS.

Præs. doceor, eris *vel* ere, etur; emur, emini, entur.
Imp. docebar, aris *vel* are, atur; amur, amini, antur.
Perf. *doctus sum*, &c. ut, *amatus sum.*
Fut. docebor, beris *vel* bere, bitur; bimur, bimini, buntur.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. docear, aris *vel* are, atur, amur, amini, antur.
Imp. docerer, reris *vel* rere, retur, remur, remini, rentur.

IMPERATIVUS.

Præs. {docere, / docetor,} docetor, docemini, docentor.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* doceri.
Perf. & Plus. *doctus esse.* Fut. *doctum iri*, vel *docendus esse. Doctu. Doctus. Docendus.*

TERTIA CONJUGATIO.

INDICATIVUS.

Præs. Lego, gis, git; gimus, gitis, gunt.
Imp. legebam, bas, bat, bamus, batis, bant.
Perf. legi, *isti, it; imus, istis, erunt* vel *ere.*
Plus. *legeram, ras, rat; ramus, ratis, rant.*
Fut. legam, ges, get; gemus, getis, gent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. legam, gas, gat; gamus, gatis, gant.
Imp. legerem, res, ret; remus, retis, rent.
Perf. *legerim, ris, rit; rimus, ritis, rint.*
Pluf. *legissem, ses, set; semus, setis, sent.*
Fut. *legero, ris, rit; rimus, ritis, rint.*

IMPERATIVUS.

Præs. {lege, legito,} legito. {legite, legitote,} legunto.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* legere.
Perf. & Pluf. *legisse.* Fut. *lecturus esse.*
Legendum, legendi, legendo. Legens. Lectum. Lecturus.

VOX PASSIVA.

INDICATIVUS.

Præs. legor, eris *vel* ere, itur; imur, imini, untur.
Imp. legebar, aris, *vel* are, atur; amur, amini, antur.
Perf. *lectus sum*, &c. ut *amatus sum.*
Fut. legar, eris, *vel* ere, etur; emur, emini, entur.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. legar, aris *vel* are, atur; amur, amini, antur,
Imp. legerer, reris *vel* rere, retur; remur, remini, rentur.

IMPERATIVUS.

Præs. {legere, legitor,} legitor, legimini, leguntor.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* legi.
Perf. & Pluf. *lectus esse.* Fut. *lectum iri*, vel *legendus esse*. *Lectu, Lectus, Legendus.*

QUARTA

QUARTA CONJUGATIO.

INDICATIVUS.

Præs. Audio, dis, dit; dimus, ditis, diunt.
Imp. audiebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. audivi, *visti, vit; vimus, vistis, verunt* vel *vere.*
Pluf. *audiveram, ras, rat; ramus, ratis, rant.*
Fut. audiam, es et; emus, etis, ent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. audiam, ias, iat; iamus, iatis, iant.
Imp. audirem, res, ret; remus, retis, rent.
Perf. *audiverim, ris, rit; rimus, ritis, rint.*
Pluf. *audivissem, ses, set; semus, setis, sent.*
Fut. *audivero, ris, rit; rimus, ritis, rint.*

IMPERATIVUS.

Præs. { audi, audito, } audito, { audite, auditote, } audiunto.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* audire.
Perf. & Pluf. *audivisse.* Fut. *auditurus esse.*
Audiendum, audiendi, audiendo. Audiens. Auditum. Auditurus.

VOX PASSIVA.

INDICATIVUS.

Præs. audior, diris *vel* dire, ditur; dimur, dimini, diuntur.
Imp. audiebar, baris *vel* bare, batur, bamur, bamini. bantur.
Perf. *auditus sum,* &c. ut, *amatus sum.*
Fut. audiar, eris *vel* ere, etur; emur, emini, entur.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. audiar, aris *vel* are, atur; amur, amini, antur.
Imp. audirer, reris *vel* rere, retur; remur, remini, rentur.

IM-

IMPERATIVUS.

Præs. {audire, auditor,} auditor, audimini, audiuntor.

INFINITIVUS.

Præs. & *Imp.* audiri.
Perf. & Plus. *auditus esse.* Fut. *auditum iri*, vel *audiendus esse.*
Auditu. Auditus. Audiendus.

APPENDIX.

Ab Amo, Amavi, Amatum dependent reliqua Tempora; *amabam, amabo, amem, amarem, ama, amato, amare, amans, amandum* ab Amo; *amaveram, amaverim, amavissem, amavero, amavisse* ab Amavi; *amatus, amaturus* ab Amatum. Idem de aliis Verbis sit judicium.

Discrimen Conjugationum.

Prima	habet	*a* longum	in Infinitivo;	*Amare.*
Secunda		*e* longum		*Docere.*
Tertia		*e* breve		*Legere.*
Quarta		*i* longum		*Audire.*

IRREGULARIA VERBA.

EO.

INDICATIVUS.

Præs. Eo, is, it; imus, itis, eunt.
Imp. ibam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. ivi, ivisti, *&c. ut in Regularibus.*
Fut. ibo, bis, bit; bimus, bitis, bunt.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. eam, eas, eat; eamus, eatis, eant.
Imp. irem, res, ret; remus, retis, rent.

IMPERATIVUS.

Præs. {i, ito,} ito; {ite, itote,} eunto.

INFINITIVUS.

Ire. Ivisse. Iturus esse. Eundum, di, do. Iens. Itum. Iturus.

VOLO.

VOLO.

INDICATIVUS.

Præs. Volo, vis, vult; volumus, vultis, volunt.
Imp. volebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. volui, voluisti, *&c. ut in Regularibus.*
Fut. volam, les, let; lemus, letis, lent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. velim, lis, lit; limus, litis, lint.
Imp. vellem, les, let; lemus, letis, lent.

INFINITIVUS.

Velle. Voluisse. Volens.

NOLO.

INDICATIVUS.

Præs. Nolo, nonvis, nonvult; nolumus, nonvultis, nolunt.
Imp. nolebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. nolui, noluisti, *&c.*
Fut. nolam, les, let; lemus, letis, lent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. nolim, lis, lit; limus, litis, lint.
Imp. nollem, les, let; lemus, letis, lent.

IMPERATIVUS.

Præs. { noli, nolite.
{ nolito, nolitote.

INFINITIVUS.

Nolle. Noluisse. Nolens.

MALO.

INDICATIVUS.

Præs. Malo, mavis, mavult; malumus, mavultis, malunt.
Imp. malebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. malui, maluisti, *&c.*
Fut. malam, les, let; lemus, letis, lent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. malim, lis, lit; limus, litis, lint.
Imp. mallem, les, let; lemus, letis, lent.

IN-

INFINITIVUS.

Malle. Maluisse.

FIO.

INDICATIVUS.

Præs. Fio, fis, fit; fimus, fitis, fiunt.
Imp. fiebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. *factus sum, &c.* ut *amatus sum.*
Fut. fiam, es, et; emus, etis, ent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. fiam, as, at; amus, atis, ant.
Imp. fierem, res, ret; remus, retis, rent.

IMPERATIVUS.

Præs. fito, fito; {fite, fitote,} fiunto.

INFINITIVUS.

Fieri. Factus esse. Factum iri *vel* faciendus esse. Factu
Factus.

FERO.

INDICATIVUS.

Præs. Fero, fers, fert; ferimus, fertis, ferunt.
Imp. ferebam, bas, bat; bamus, batis, bant.
Perf. tuli, tulisti, *&c.* ut *in Regularibus.*
Fut. feram, res, ret; remus, retis, rent.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. feram, ras, rat; ramus, ratis, rant.
Imp. ferrem, res, ret; remus, retis, rent.

IMPERATIVUS.

Præs. {fer, ferto,} ferto; {ferte, fertote,} ferunto.

INFINITIVUS.

Ferre. Tulisse. Laturum esse. Ferendum, di, do. Ferens. Latum. Laturus.

VOX

VOX PASSIVA.

INDICATIVUS.

Præs. feror, ferris *vel* ferre, fertur; ferimur, ferimini, feruntur.
Imp. ferebar, baris *vel* bare, batur, *&c.*
Perf. *latus sum*, &c. ut *amatus sum.*
Fut. ferar, reris *vel* rere, retur, *&c.*

SUBJUNCTIVUS.

Præs. ferar, aris *vel* are, atur, amur, *&c.*
Imp. ferrer, reris *vel* rere, retur, remur, *&c.*

IMPERATIVUS.

Præs. {ferre, fertor,} fertor, ferimini, feruntor.

INFINITIVUS.

Ferri. Latum esse. Latum iri *vel* ferendus esse. Latu. Latus. Ferendus.

SUM.

INDICATIVUS.

I am, thou art, he is, we are, &c.
Præs. Sum, es, est, sumus, estis, sunt.
I was, thou was, he was, we were, &c.
Imp. eram, ras, rat, ramus, ratis, rant.
I have been, thou has been, he hath been, &c.
Perf. fui, isti, it, imus, istis, erunt *vel* ere.
I had been, thou had been, &c.
Plus. fueram, ras, rat, ramus, ratis, rant.
I shall be, or I will be, &c.
Fut. ero, ris, rit, rimus, ritis, runt.

SUBJUNCTIVUS.

Si sim If I be, &c.
Præs. sim, sis, sit, simus, sitis, sint.
Imp. essem, ses, set, semus, setis, sent.
Perf. fuerim, ris, rit, rimus, ritis, rint.
Plus. fuissem, ses, set, semus, setis. sent.
Fut. fuero, ris, rit, rimus, ritis, rint.

IMPERATIVUS.

be thou, let him be, be ye, let them be.

Præs. { es, esto, } esto; { este, estote, } sunto.

INFINITIVUS.

Esse, to be. Fuisse, to have been. Futurus esse, about to be.

POSSUM.

INDICATIVUS.

Præs. Possum, potes, potest, possumus, potestis, possunt.
Imp. poteram, ras, rat; ramus, ratis, rant.
Perf. potui, potuisti, &c.
Fut. potero, ris, rit; rimus, ritis, runt.

SUBJUNCTIVUS.

Præs. possim, sis, sit; simus, sitis, sint.
Imp. possem, ses, set; semus, setis, sent.

INFINITIVUS.

Posse. Potuisse.

Prosum assumit d, ubi *Sum* incipit ab e; ut, *prodes, prodest, prosumus, prodestis, prosunt, proderam, prodessem, prodesse,* &c.

Impersonalia Verba.

Oportet, oportebat, oportuit, oportuerat, oportebit, &c. per tertiam personam tantum.

Personale interdum fit Impersonale; ut, *Amatur, amabatur, amatum est,* vel *fuit,* &c.

Participium.

Participium est Adjectivum à Verbo derivatum; ut, *Amans, amatus,* &c. ab *Amo.*

Finita in *ans* & *ens* sunt tertiæ declinationis; *us* primæ & secundæ.

DICTIO INDECLINABILIS.

Dictio indeclinabilis est, quæ terminationem non mutat; ut, *Ita, Non,* &c.

Qua-

Quadruplex statuitur *Conjunctio, Præpositio, Adverbium,* Inter-*jectio.*

Conjunctiones.

Et, Ac, Atque, Que, Nec, Neque, Neu, Neve, Seu, Sive, Aut, Vel, Ve, &c. copulant plerunque similes Casus, vel Modos; ut, *Amo patrem, & matrem. Obedio patri, matrique. Scribe, aut lege,* &c.

Præpositiones Accusativum regentes.

Ad, Apud, Ante, Adversus, Contra, Cis, Citra, Circa, Circum, Circiter, Erga, Extra, Supra, Infra, Intra, Inter, Juxta, Ob, Pone, Prope, Propter, Per, Præter, Post, Penes, Secus, Secundum, Trans, Ultra; ut, *Ad scholam. Apud patrem. Adversus* vel *adversum hostes,* &c.

Ablativum regentes.

A, Ab, Abs, Absque, Cum, Coram, Clam, De, E, Ex, Pro, Præ, Palam, Procul, Sine, Tenus; ut, *Accepi à patre; ab avo; abs te,* &c.

Accusativum, & Ablativum regentes.

In, Sub, Super, Subter; ut, *Eo in scholam. Sedeo,* aut *ambulo in schola. Eamus sub umbram. Sedeamus sub umbra,* &c.

Adverbia	in loco;	ut,	*Hic, illic, istic.*
	ad locum;		*Huc, illuc, istuc.*
	per locum;		*Hac, illac, istac.*
	ex loco;		*Hinc, illinc, istinc.*
	quantitatis;		*Parum, satis.*
	qualitatis;		*Doctè, sapienter.*
	temporis;		*Heri, hodie, cras.*
	numeri;		*Semel, bis, ter,* &c.

Interjectiones.

Ha, Ha, He.

Admonitio.

Voces non dictæ vel simpliciter *Adverbia,* aut *Dictiones indeclinabiles* nuncupentur.

Quatuor

Quatuor communes Regulæ.

1. Adjectivum & Substantivum conveniunt in Genere, Numero, Casu. *Meus pater. Mea mater. Meum caput.*

2. Verbum convenit cum Nominativo in Numero & Perso[na]. *Ego ludo. Tu legis. Petrus scribit. Vos statis.*

3. Unum Substantivum regit aliud in Genitivo. *Domus pat[ris]. Liber præceptoris.*

4. Verbum Activum regit Accusativum. *Scribo epistolam. Osc[u]lor matrem.*

PRIMA PARS GRAMMATICÆ.



Res ſunt Grammaticæ Partes: Prima voces flectit; Secunda eas in oratione conſtruit; Tertia ſyllabarum quantitatem docet.

Duo ſunt Libri primæ partis: prior de *Nominibus*, poſterior de *Verbis* agit.

CAP. I.

De Generibus Nominum.

Omne Nomen marem denotans Maſculinum eſt.

Ad hanc Regulam pertinent	nomina	Virorum;	ut,	*Petrus*,
		Deorum;		*Jupiter*.
		Angelorum;		*Michael*.
		Ventorum;		*Eurus*,
		Officiorum virilium;		*Rex*, *Pater*,
		Animalium maſculorum;		*Leo*, *Taurus*,

Omne

Omne Nomen Fœmellam denotans Fœminin
eſt.

Ad hanc Regulam pertinent	nomina	Mulierum;	ut,	*Maria.*
		Dearum;		*Juno.*
		Nympharum;		*Echo.*
		Furiarum;		*Alecto.*
		Officiorum muliebrium;		*Regina. Mater.*
		Animalium fœmininorum;		*Leæna. Vacca.*

Omne Nomen ſub una terminatione & marem & fœmellam denotans, eſt communis generis.

Hic & hæc Parens, Dama, Paſſer, &c.

ANNOT.

1. Ab his tribus Regulis excipe Appellativa in *um* ; *Hoc Manci-pium, Scortum,* &c.

2. Pro Maſculino, Fœminino, Neutro brevitatis gratiâ utim *Hic, Hæc, Hoc.*

Diſcrimen inter Genus dubium & commune.

1. Nomen dubii Generis eſt, quod in vario Genere pro tuo ar-bitrio locare poſſis ; ut, *Hic,* vel *hæc Finis* ; *Hic,* aut *hoc Vulgus.* Nomen communis Generis in hoc, aut illo Genere ponendum e ſecundum diverſam ipſius ſignificationem ; ut, *Hic Parens* pro pa-tre ; *Hæc Parens* pro matre. *Hic Dama* pro mare ; *Hac Dama* pr fœmella. &c. Quod ſi certum ſexum non intelligas, in eo plerunq ponitur Genere, cujus eſt vocis terminatio ; ut, *Hæc Aquila* ; qu

Nom

men in *a* primæ declinationis est Fœmininum. *Hic Passer*; quia in *er* Masculina sunt. Interdum non vocis terminatio, sed Generis dignitas consideratur; ut apud Virg. *Talpæ oculis capti.* Si autem terminatio sit Neutri generis; ut, *ur*, in Masculino ponuntur; *Turtur*, *Vultur*, &c.

2. Diligenter Notandum, multas voces esse communis generis quoad significationem, non tamen quoad constructionem; e. g. *Homo*, & *Fur* utrumque sexum denotant, nescio tamen, an unquam legeris *Mala homo*, aut *Cauta fur.* Apud Plaut. legas, *Fures estis ambæ.* Non tamen inde sequitur, hanc vocem *Fures* construi cum Adjectivo *Ambæ*: sic enim *Animal* in hac oratione *Animalia estis ambæ*, construeretur cum Adjectivo fœminino. Itidem *Virgo*, & *Aquila* utrumque denotant sexum, fallor tamen, an tale quicquam invenias, *Castus virgo*; aut, *Magnus aquila.* Ad discernendum autem sexum addi interdum solent hæ voces *Mas*, & *Fœmina*; ut, *Mas aquila. Fœmina piscis*; ut apud Ovid.

----- cum quo sua gaudia jungat,
Invenit in media fœmina piscis aqua.

3. Hinc volunt quidam, istos honoris titulos sic proferri, *Dux fœmina*; *Comes fœmina*, &c. Alii *Ducissa*, *Comitissa* scribendum putant.

Omne Nomen indeclinabile Neutrum est.

Hoc A, *B*, *Alpha*, *Beta*, *Fas*, *Nefas*, &c.

ANNOT.

1. Sic *Velle* pro *Voluntas*; *Scire* pro *Scientia*; ut apud Pers.

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Nomen arboris Fœmininum est.

Hæc Pomus, *Pyrus*, &c.

At *Hoc Acer*, *Robur*, *Siler*, *Thus*. *Hic Oleaster*. *Hic*, *aut Hæc Suber.*

Interdum sequuntur Genus terminationis; *Hic Cupressus*, *Pinus*, *Pinaster*, &c.

A Primæ declinationis Fœmininum est; Te[rtiæ]
Neutrum.

Hæc Penna, æ. Hoc Thema, atis, &c.

ANNOT.

1. Interdum *Pascha, æ.* Primæ; sæpius *atis* Tertiæ; aliqu[ando]
indeclinabile reperitur. *Cometa*, & *Planeta* Masculina sunt, [re]
enim Genus, quod habent apud Græcos, licet terminatio mute[tur,]
quod in aliis etiam vocibus videre est.

E Primæ declinationis Fœmininum est; Ter[tiæ]
Neutrum.

Hæc Grammatice, ces. Hoc Sedile, is, &c.

O Masculinum est.

Hic Sermo, &c.

Verbalia in *io* Fœminina sunt; ut, *Dictio, Lectio*, a *Di[co]*
& *Lego*.

Item finita in *do*, & *go* plures, quam duas syllabas habe[n]tia; ut, *Formido, Imago*, &c. Quibus addas *Caro, Gra[...]*
& *Talio*. At *Hic Harpago*, & *Pugio*.

Finita in *U, C, L, M, T*, Neutra sunt.

Hoc Genu, Lac, Mel, Templum, Caput, &c. *Sal* etia[m]
Hic.

Finita in *N*, Masculina sunt.

Hic Pecten, Canon, &c.

Finita in *men* Neutra sunt; *Hoc Carmen*, &c.

Finita in *on* secundæ declinationis Neutra sunt; ut, *[...]*
Colon. Quibus addas *Gluten, Inguen*, & *Unguen*. *Hæc Ic[on]*
& *Sindon*.

AR, & *UR* Neutra sunt.

Hoc Calcar, Guttur, &c. *Hic Furfur*.

ER Masculinum est.

Hic Liber, &c.

Hoc Cadaver, *Iter*, *Spinter*, *Ver*, *Verber*, *Uber*. *Hic*, *aut Linter*.

Semina terræ Neutra sunt; *Hoc Piper*, *Zinziber*, &c. At *Cucumer*.

OR Masculinum est.

Hic amor, &c.

Hoc Cor, *Æquor*, *Marmor*. *Hæc Arbor*.

AS Tertiæ declinationis Fœmininum est.

Hæc Pietas, &c.

At *Hic Adamas*, & *As*. *Hoc Vas vasis*.

ES Fœmininum est.

Hæc Merces, &c.

At *Hic*, *aut hæc Dies*; *Hoc Æs*; *Hic Pes*, *Paries*, *ples*, &c.

ANNOT.

1. *Hic* etiam *Ames*, *Cespes*, *Fomes*, *Gurges*, *Palmes*, *Stipes*, *mes*, *Termes*, *Tudes*; & aliquando *Merges*.

2. Multa Græca in *es* Masculina, vel Neutra sunt; *Hic Sorites*; *Hippomanes*, &c.

IS Fœmininum est.

Hæc Navis, &c.

Finita in *nis* Masculina sunt; ut, *Crinis*, *Panis*, &c. At *ic*, *aut hæc Finis*, *Clunis*.

Mascula *Ensis*, *Mensis*, *Lapis*. *Orbis*, *Pulvis*, *Sanguis*.

ANNOT.

1. *Hic* etiam *Aqualis*, *Axis*, *Callis*, *Cassis*, *Caulis*, *Collis*, *Cucu-*, *Fascis*, *Follis*, *Fustis*, *Postis*, *Sentis*, *Torris*, *Vectis*, *Vepris*, *Un-is*. Item partes *Assis*; ut, *Hic Octussis*, *Decussis*, &c.

2. Nomina in *is* valde incerta sunt, Lucret: *Multa cinis*: Emp: *latæ lapides*, &c.

O S Masculinum est.

Hic Mos, &c. At *Hoc Os*, *Hæc Cos*, & *Dos*.

ANNOT.

1. Græca in *os* secundæ declinationis plerunque Fœminina su *Hæc Eremos*, *Synodos*, &c. Latini hæc in *us* vertunt; ut, *Ere* *Hoc Chaos*, *Epos*, *Melos*.

2. Finita in *os*, aut *or* ejusdem sunt generis, cujus est termin *or* e. g. *Hic Honos*; quia *Hic Honor*; *Hæc Arbos*, quia *Arbor*, &c.

U S secundæ, aut quartæ declinationis Mascu num est.

Hic *Ventus*, *Fructus*, &c.

At Hæc *Domus*, Humus, *Manus*.

ANNOT.

1. Hæc etiam *Alvus*, *Colus*, *Idus*, *Porticus*, *Specus*, *Tribus*, *Va nus*. Hic, aut hæc *Carbasus*, *Faselus*, *Ficus*, *Grossus*. Hoc *Pelagu* *Virus*; interdum Hic *Pelagus*. Hic, aut hoc *Vulgus*: Hic Acus *Hæc* Acus *acus*; *Hoc* Acus *aceris*. Græca in *us* vide in Regula p cedente.

U S Tertiæ Neutrum est.

Hoc *Tempus*. &c.

Quæ habent *udis*, vel *utis* in Genitivo, Fœminina sun ut, *Palus paludis*; *Virtus virtutis*, &c. Quibus addas *La* & *Fraus*.

Nomen in *s*, cui præcedit Consonans, Fœmin num est.

Hæc *Trabs* *Mens*, *Stips*, *Pars*, &c.

At Hic *Dens*, *Fons*, *Mons*, *Pons*.

ANNOT.

1. Hic etiam *Rudens*, *Torrens*, *Chalybs*, Hydrops. Hic aut *Adeps*, *Forceps*, *Scrobs*, & *Stirps*, pro trunco arboris; Hæc tan

rosobole. Masculina sunt partes assis; ut, *Triens*, i. e. tertia pars assis; *Quadrans* i. e. quarta pars.

X Fœmininum est.

H*æc Pax*, *Lex*, *Pix*, &c.

Polysyllaba (i. e. Multisyllaba) in *ax*, & *ex* Masculina sunt; H*ic Thorax*, *Apex*, &c.

ANNOT.

1. At *Hæc Fornax*, *Similax*, *Carex*, *Forfex*, *Supellex*, *Vibex*. *Hic*, *aut hæc Cortex*, *Imbrex*, *Obex*, *Pumex*, *Ramex*. Item Hic, aut hæc *Onyx*, *Sandix*, *Silex*, & *Tradux*. *Hic Grex*, *Calix*, *Fornix*, *Spadix*, *Varix*. Quibus addas orta ab *Uncia*; ut, *Quincunx*, *Septunx*, &c.

POSTSCRIPTUM.

1. Nonnullas voces cousultò omisimus, satius esse judicantes inter legendum eas notare, quam Præceptis hic describere.

2. Nomina Regionum, Insularum, & Urbium, ut plurimum, terminationum Regulas sequuntur; e. g. *Hæc Gallia*, *Sicilia*; Hoc *Londinum*, &c. At finita in *us* fœminina sæpius sunt; H*æc Ægyptus*, *Corinthus*, &c. Quod fit, vel quia Fœminina sunt apud Græcos; vel quia subintelligitur vox generalis, *Regio*, *Insula*, vel *Urbs*; de quo in secunda Grammaticæ parte.

3. Nomina pluralis tantum numeri datas Regulas sequuntur; e. g. H*æ Nuptiæ*; quia, si haberet singularem, esset Hæc *Nuptia*.

4. Adjectiva sunt omnis generis; ut, H*ic Justus*, *hæc justa*, *hoc justum* primæ, & secundæ declinationis: H*ic*, *hæc*, *hoc Felix*; Hic, *& hæc Omnis*; *& hoc omne*; Hic *Saluber*, *hæc salubris*, *hoc salubre* Tertiæ.

CAP. II.

De prima, secunda, quarta, & quinta Declinationibus, quoad communem flectendi modum, in Vestibulo satis dictum; hic diversas tantum quasdam terminationes trademus.

ANNOT.

In primam declinationem.

1. Prima Declinatio quatuor habet terminationes; unicam latinam, *a*; & tres græcas, *as*, *es*, *e*. *Æneas*, *Anchises*, *Epitome*.

2. *As* habet in Accusativo *am* vel *an*; *Thomas*, *Thomam*, vel *Thoman*. Sic Græca in *a*; *Maia*, *Maiam*, vel *Maian*.

3. *Es*, & *E* sic declinantur.

Nom.	*Anchises.*	*Epitome.*
Gen.	*Anchisæ.*	*Epitomes.*
Dat.	*Anchisæ.*	*Epitomæ.*
Acc.	*Anchisen.*	*Epitomen.*
Voc.	*Anchise.*	*Epitome.*
Abl.	*Anchise.*	*Epitome.*

4. *Es* aliquando in *a* mutatur. *Anchisâ genitore* Virg.

5. Finitum in *a* præcedente vocali format Genitivum interdum in *as* more græco; *Familia familias*, &c. Hinc *Pater familias* dicimus.

6. Apud Poetas reperies *ai* pro *æ*. *Aulaî in medio.* Virg. pro *aulæ*.

7. Quædam in Dativo Plurali habent *abus*; ut, *Dea*, *Anima*, *Filia*, *Equa*, &c. *Deabus*, *Animabus*. Interdum tamen in *is* leges. *Tullius salutem dicit Terentiæ, & Tulliolæ duabus animis suis.*

De Vocativo omnium declinationum.

Vocativus est similis Nominativo.

1. Excipe Propria græca in *s*, quæ plerunque auferunt *s*: ut, *Thomas*, *Thoma*; *Orpheus*, *Orpheu*; *Paris*, *Pari*, &c. à Propriis vero in *ius* aufer *us*; ut, *Virgilius*, *Virgili*; *Georgius*, *Georgi*, &c.

2. Appellativa secundæ declinationis in *us* vertuntur in *e*; ut, *Ventus*, *vente*, &c. Sic & Propria; ut, *Jacobus*, *Jacobe*, &c. At *Deus*, *Filius*, *Meus* in Vocativo *Deus*, *fili*, *mi*.

3. Vocativus pluralis & Nominativus semper sunt similes; sic Dativus & Ablativus.

CAP.

CAP. III. ANNOT.

In secundam declinationem.

Terminationes latinæ, *er; ir; ur; us; um;* græcæ, *eus; os; on;* ut, *Liber. Vir. Satur. Ventus. Templum. Orpheus. Synodos. Colon.*

1. Genitivus vulgo tot habet syllabas, quot Nominativus; ut, *Liber libri*, &c. At hæc cum paucis aliis plures habent, *Adulter, Asper, Exter, Gener, Lacer, Levir, Miser, Presbyter, Prosper, Puer, Socer, Vir.* Item orta à *Fero & Gero*; ut, *Dapifer, Laniger*, &c. Interdum tamen reperies *Aspri, Extri*, pro *asperi, exteri*.

2. *Os* & *on* declinantur, ut *us*, & *um*, nisi quod formant etiam Accusativum in *on*; ut, *Synodos synodum* vel *synodon*. Et aliquando in *o* more Attico; *Ad montem Atho*, Liv. Quæ terminatio reperitur etiam in Genitivo, *Androgeos, Androgeo.*

3. *Eus* sic declinatur.

Nom.	*Orpheus.*	Acc.	*Orphea. Orpheon. Orpheum.*
Gen.	*Orphei. Orpheos.*	Voc.	*Orpheu.*
Dat.	*Orphei. Orpheo.*	*Abl.*	*Orpheo.*

4. Genitivus pluralis aliquando fit in *on* more græco. Tib. *Cimmerion etiam obscuras accessit ad oras*, pro *Cimmeriorum.*

5. *Ambo*, & *Duo* sic flectuntur.

N. V.	*ambo,*	*æ,*	*o.*
Gen.	*amborum,*	*arum,*	*orum.*
D. A.	*ambobus,*	*abus,*	*obus.*
Acc.	*ambos,*	*as,*	*o.*

6. Re-

6. Reperies interdum *Ambo*, *Duo* pro *ambos*, *duos*.

7. *Alter*, *Uter*, *Neuter*, *Nullus*, *Ullus*, *Solus*, *Totus* habent *ius* in Genitivo; *i* in Dativo; idque in omni genere: *Alterius alteri*, *Utrius utri*, &c. Reliqui Casus regulares sunt. At apud Ter. invenias *Nulli consilii sum*. *Neuter* in Præceptis Grammaticalibus habet *Neutri* sæpius, quam *Neutrius*. e. g. *Finita in* UM *sunt Neutri generis*.

CAP. IV.

Tertia Declinatio undecim habet literas terminales. *Thema Sedile*, *Caro*, *Lac*, *David*, *Mel*, *Carmen*, *Præceptor*, *Lapis*, *Caput*, *Lux*.

GENITIVUS.

a capit *tis*.
Thema thematis, &c.

e mutatur in *is*.
Sedile sedilis, &c.

o capit *nis*.
Sermo sermonis, &c.

at

Fœminina in *do*, & *go* habent *inis*.
Grando grandinis, &c.
Origo originis, &c.

Quibus addas
Apollo, *Cardo*, *Cupido*, *Homo*, *Margo*, *Nemo*, *Ordo*, *Turbo*, *Virgo* — *inis*.
Unedo *unedonis*.
Caro *carnis*.
Anio *anienis*.
Nerio *nerienis*.
Lac *lactis*.
David *davidis*.

l capit *is*.
Animal animalis, &c.

at

Fel *fellis*.
Mel *mellis*.

n capit *is*.
Titan *titanis*, &c.

at

Neutra in *en inis*.
Carmen carminis, &c.
Sic *Pecten*, & Orta à *Cano*; ut, *Tibicen*, &c.
Phaeton phaetontis.

r capit *is*.
Calcar calcaris, &c.

at

Far *farris*.
Hepar *hepatis*.

Finita

Finita in *ber* dant *bris*.

Saluber	*ſalubris*, &c.

Finita in *cer* dant *cris*.

Alacer	*alacris*, &c.

Latina in *ter* dant *tris*.

Frater	*fratris*, &c.
Pater	*patris*.
Mater	*matris*.
Iter	*itineris*.
Jupiter	*Jovis*.
Later	*lateris*.
Cor	*cordis*.
Ebur, *Femur*, *Jecur*, *Robur*	*oris*.

as dat *atis*.

Pietas	*pietatis*,	
	at	
As	*aſſis*.	
Mas	*maris*.	
Vas	*vadis*;	hic.
Vas	*vaſis*;	hoc.

Græca Maſculina *antis*.

Gigas	*gigantis*, &c.

Fœminina & Communia *adis*.

Lampas	*lampadis*.
Arcas	*arcadis*, &c.

es mutatur in *is*.

Nubes	*nubis*, &c.
	at

Multa græca dant *etis* longum.

Magnes	*magnetis*, &c.

Quibus addas *Locuples*, *Manſues*, *Quies*.

Hæc dant *etis* breve.

Abies, *Aries*, *Hebes*, *Indiges*, *Interpres*, *Paries*, *Perpes*, *Præpes*, *Seges*, *Teres*	*etis*.

Non dicta Maſculini, aut Communis generis dant *itis*.

Eques	*equitis*.
Miles	*militis*, &c.
Vates	*vatis*.
Verres	*verris*.
Hæres	*hæredis*.
Merces	*mercedis*.
Pes	*pedis*.

Orta à *ſedeo idis*.

Obſes	*obſidis*, &c.
Ceres	*cereris*.
Æs	*æris*.
Præs	*prædis*.

is non mutatur.

Navis	*navis*, &c.
	at
Cuſpis	*cuſpidis*.
Lapis	*lapidis*.

His addas multa græca.

Paris	*paridis*, &c.

Dis

Dis, *Lis*, *Quiris*, *Samnis* — *itis*.
Charis — *charitis*.
Cinis — *cineris*.
Pulvis — *pulveris*.
Glis — *gliris*.
Sanguis — *sanguinis*.
Semis — *semissis*.

Quædam in *is* dant *entis*.

Simois — *simoentis*, &c.

os formal *otis*.

Dos — *dotis*, &c.

at

Flos, *Glos*, *Honos*, *Mos*, *Ros* — *oris*.
Os — *oris*.
Os — *ossis*.
Heros, *Minos*, *Thos*, *Tros* — *ois*.
Bos — *bovis*.
Custos — *custodis*.

us oris breve.

Tempus — *temporis*, &c.

Comparativus gradus dat *oris* longum.

Pejus — *pejoris*, &c.

Acus, *Fœdus*, *Funus*, *Genus*, *Hulcus*, *Latus*, *Munus*, *Olus*, *Onus*, *Opus*, *Pondus*, *Rudus*, *Scelus*, *Sidus*, *Vellus*, *Venus*, *Vetus*, *Viscus*, *Vulnus* — *eris*.
Fœnus, *Pignus* — *eris*, vel *oris*.

Monosyllaba dant *uris*.

Mus — *muris* &c.
Grus — *gruis*.
Sus — *suis*.
Tellus — *telluris*.
Ligus — *liguris*.
Intercus — *intercutis*.

Orta à *pus* dant *odis*.

Tripus — *tripodis*, &c.
Incus, *Palus*, *Subscus* — *udis*.

Reliqua Fœminina *utis*.

Juventus

Juventus	
senectus	utis.
Servitus	
Virtus	

Quædam græca untis.

Opus	*opuntis*, &c.
Fraus	*fraudis.*
Laus	*laudis.*

Pone *i* inter *b* & *s*, aut *p* & *s*.

Trabs	*trabis*, &c.
Stips	*stipis*, &c.

Polysyllaba mutant *e* in *i*.

Calebs	*cælibis*, &c.
Particeps	*participis*, &c.
Auceps	*aucupis.*
Puls	*pultis.*
Hyems	*hyemis.*

Finita in *ns*, aut *rs* mutant *s* in *tis*.

Mons	*montis*. &c.
Pars	*partis*, &c.

at

Frons, *frondis* folium arboris.
Lens, *lendis* pediculi pullus.

Glans	*glandis.*
Nefrens	*nefrendis.*

Orta ex *Cor*; & *Pendo* mutant *s* in *dis*.

Concors	*concordis*, &c.
Libripens	*libripendis*, &c.
Iens	*euntis.*

Sic Composita.

Abiens	*abeuntis.*
Adiens	*adeuntis*, &c.

At *Ambiens* *ambientis*.

Caput	*capitis*.

Composita *cipitis*.

Occiput	*occipitis.*
Sinciput	*sincipitis.*
Anceps	*ancipitis.*
Præceps	*præcipitis*, &c.

x mutatur in *cis*

Lux	*lucis*.
Felix	*felicis*, &c.

at

Aquilex	
Frux	
Grex	gis.
Lex	
Rex	
Remex	

Sic multa græca.

Sphinx	*sphingis*, &c.
Conjux	*conjugis.*
Nix	*nivis.*
Nox	*noctis.*
Senex	*senis.*
Supellex	*suppellectilis.*

Pauca græca dant *actis*.

Hylax	*hylactis*, &c.

4. Notandum Polysyllaba mutare *e* in *i*; ut, *Apex*, *apicis*; *Remex*, *remigis*, &c. Excipe *Aquilex*, *Celex*, *Halex*, *Lelex*, *Myrmex*, *Resex*, *Vervex*.

Quatuor

Quatuor sunt græcæ terminationes, { *ei*; *i*; *os*; *us*; } ut, { *Ulissei.* *Achilli.* *Paridos.* *Didus.* }

DATIVUS.

Dido contractè pro *didoï* & hoc pro *Didoni.*

Dativus fit in *i.*

Lapis, *lapidi*, &c.

ACCUSATIVUS.

Accusativus fit vulgo in *em.*

Lapis, *lapidem*, &c.

ANNOT.

Accusativus quinque habet terminationes { *em*; *im*; *in*; *a*; *o*; } ut, { *Caro*, *carnem.* *Vis*, *vim.* *Alexis*, *Alexin.* *Gigas*, *giganta.* *Dido*, *dido.* }

1. *Bipennis*, *Buris*, *Clavis*, *Febris*, *Navis*, *Pelvis*, *Pestis*, *Puppis*, *Restis*, *securis*, *Torquis* *Turris* habent *em*, vel *im*.

2. *Amussis*, *Cucumis*, *Ravis*, *Sitis*, *Tussis*, *Vis*, solum *im* dant.

3. Græca crescentia in Genitivo dant *em*, vel *a*; non crescentia *im*, vel *in*; e.g. *Lampas* in Genitivo *lampadis*, ergo *lampadem*, vel *lampada*, &c. *Alexis* in Genitivo *Alexis*, unde in Accusativo, *Alexim*, vel *Alexin*, &c. Atque hinc est, quod *Paris* quatuor modis formet Accusativum; *Paridem*, *parida*, *parim*, & *parin*; quia est *paridis*, *paridos*, & *paris* in Genitivo.

4. Postremo Notandum, de Masculino tantum, & Fœminino hic fieri mentionem; Neutrum enim Nominativi retinet terminationem.

ABLATIVUS.

Neutra in *al*, *ar*, *e.* habent *i.*

Animal, *Calcar*, *Sedile*; *animali*, *calcari*, *sedili.*

Excipe *Hepar*, *Jubar*, *Nectar*, *Sal*,

Si Accuſativus ſit in *im*, aut *in*, Ablativus habet *i*.

Vis, *vim*, *vi*; *Alexis*, *Alexin*, *Alexi*, &c.

Si Accuſativus ſit in *em*, aut *im*, Ablativus habet *e*, vel *i*.

Clavis, *clavem*, vel *clavim*; hinc *clave* vel *clavi*.

Adjectiva habent *e*, vel *i*.

Felix, *felice*, vel *felici*; *Melior*, *meliore*, vel *meliori*, &c.

Excipe, ubi Neutrum ſit in *e*; Hic & hæc *Dulcis*, hoc *dulce*. Hinc *dulci*, &c. Quibus addas *Plus*, *pluri*.

Non dicta habent *e* tantum; ut & hæc duo Adjectiva, *Pauper*, & *Soſpes*.

ANNOT.

1. Apud Poetas *e*, pro *i* interdum videas; ut, *Mare*, pro *mari*; Ovid.

Exiguum pleno de mare demit aquæ.

2. Et contra, *i* pro *e*, *Veſperi domum revertor* Ter. pro *veſpere*. *Redeunt ruri ruſtici*, Plaut. pro *rure*.

3. *Aprilis*, *Octobris*, &c. Adjectiva ſunt; ideoque formant Ablativum in *i*: ſupprimitur enim *Menſis*.

NEUTRUM PLURALE.

Si Ablativus ſingularis ſit in *i*; pone *ia*; ſi in *e* tantum, *a*.

Animal, *animali*, *animalia*; *Felix felice*, vel *felici*, *felicia*, &c. *Caput*, *capite*, *capita*, &c.

Excipe Comparativum gradum; *Melior*, *meliori*, *meliora*, &c. Sic *Vetus*, *veteri*, *vetera*.

GENITIVUS PLURALIS.

Si Ablativus ſingularis habet *i*, pone *ium*; ſi *e* tantum, *um*.

Calcar,

Calcar, calcari, calcarium; *Felix, felici, felicium*, &c. C*put, capite, capitum*, &c.

ANNOT.

1. A priore parte Regulæ excipe Comparativum gradum; M*elior, meliorum*, &c. At *Plus, plurium.*

2. Excipe etiam *Artifex, Concors, Dives, Inops, Memor, Opif*… *Supplex, Vetus, Vigil*. Item Composita à *Capio*; ut, *Municeps, P*…*ticeps*, &c.

3. Quædam habent *um*, vel *ium*; *Anceps ancipitum*, vel *ancipitium*, &c. Sed hoc plerumque fit, cum eadem vox diversa signific… ut, *Parens*, i. e. pater, aut mater, *parentum* vulgo format: at *Parens* i. e. obediens, *parentium* sæpius. Hoc Adjectivum, illud Substantivum est.

4. A posteriore parte Regulæ excipe Monosyllaba (i. e. Unisyllaba) in *as*; *Mas, marium*; *Vas, Vadium*, &c. Polysyllaba plerumque habent *um*; *Facultas, facultatum*, &c. Interdum *ium*, *Civitatium*, Justin. *Optimatium*, Cic.

5. Nomina in *es*, aut *is* non crescentia in Genitivo, habent *ium*; *Sedes, sedis, sedium*; *Navis, navis, navium*, &c. Hinc excipe C*anis*, Panis, *Juvenis, Indoles, Vates*. Si deest Singularis, fingi op… tidet; ut, *hi Manes, manium*; quia, si singularem haberet; esset *manes*, vel *manis*; & in Genitivo *manis*.

6. Monosyllaba habentia duas in fine Consonantes, dant *ium*; *Ars, artium*; *Mons montium*; *Urbs, urbium*, &c. Quibus add… *Caro, Cor, Cos, Dos, Faux, Glis, Lis, Linter, Nix, Nox, Os*; … Orta ab *Unica*; ut *Septunx*, &c.

7. Plurimæ sunt Voces, quæ raro in Genitivo leguntur; quale… Pax, Fax, Fæx, *Nex*, *Pix, Lux*, Mel, Fel, *Sol, Glos, Ros, Pus, J*… *Rus*, &c. Quod si *Jus*, aut *Rus* proferenda essent, satius est dice… *jurum, rurum*, quam *jurium*, aut *rurium*; quia dicimus *jura*, n… *juria*. At Plaut. *Legum, atque jurium fictor.*

DATIVUS.

Dativus fit in *ibus*.

Lapidibus, &c.

ANNOT.

ANNOT.

1. *Bos* habet *bobus* ; & in Genitivo *boum*.
2. Græca in *ma* dant sæpius *is* ; ut, *Diadema, diadematis*, &c.
3. Reperitur hic Casus nonnunquam habere *in* ; *Arcas, arcadibus*, & *arcasin*.

ACCUSATIVUS.

Accusativus fit in *es*.

Lapides, &c.

ANNOT.

Accusativus habet quatuor terminationes,	*es* ;	ut,	*Omnes.*	vulgo.
	eis ;		*Omneis.*	raro.
	is ;		*Omnis.*	contracte.
	as ;		*Gigantas.*	græce.

CAP. V. ANNOT.

In quartam declinationem.

1. Duæ sunt terminationes, *us*, & *u* : hoc in singulari indeclinabile est.
2. Genitivus interdum fit in *uis* ; *Hujus anuis gratia*, Ter. Dativus in *u* ; *Parce metu*, Virg.
3. *Acus*, *Arcus*, *Artus*, *Ficus*, *Lacus*, *Partus*, *Portus*, *Specus Quercus*, *Tribus*, *Veru*, formantur in *ubus* in Dativo plurali.
4. Jesus in Accusativo Jesum ; reliquis Casibus Jesu.
5. De quinta declinatione hoc tantum addimus subinde à fine dictionis auferri literam ; ut apud Virg. *Die*, pro *diei* ;

Libra die somnique pares ubi fecerit horas.

CAP. VI. ANNOT.

In Nomina Composita.

1. Simplex, & Compositum eodem modo plerunque flectuntur ; ut, *Pes, pedis* ; *Bipes, bipedis*, &c. Multa excipiuntur ; e. g. *Sanguis, sanguinis* : at *Exsanguis* in Genitivo *exsanguis*. Sic, *Manus*, in Genitivo *manus* ; at *Centimanus centimani*, &c.

2. Dictio composita ex duobus Nominativis per utrumque flectitur; *Respublica*, *reipublicæ*, *rempublicam*, &c. At *Alteruter*, *alterutrius*, *alterutri*; non, *alteriusutrius*. Sic *Leopardus*, *leopardi*; non *leonispardi*, &c.

3. Composita ex Nominativo, & Genitivo per Nominativum tantum declinatur; *Jurisperitus*, (ex *jus*, & *peritus*) *jurisperiti*, *Jurisperito*, *jurisperitum*, &c.

4. Composita ex duobus Genitivis utraque manet inflexibilis; ut, *Hujusmodi*; nunquam *huicmodo*, &c.

CAP. VII.

IRREGULARIA.

1. Irregulare est, quod à communi declinandi modo deflectit: estque Abundans, *Deficiens*, aut *Varians*.

ABUNDANTIA.

2. Abundans est, quod vario modo efferre possis.

3. Voces abundant, vel sola terminatione, aut sola declinatione; vel terminatione, & declinatione simul; vel varie formando Genitivum, aut quemvis alium Casum; vel denique & genere, terminatione, & declinatione.

Hæc	Arbor / Arbos	*arboris*	abundant	sola terminatione.
Hæc	Laurus	*lauri* / *laurus*		sola declinatione.
Hæc	Hebdomada / Hebdomas	*æ* / *adis*		terminatione, & declinatione.
Hic	*Paris*	*paris* / *paridis*		varie formando Genitivum, vel Accusativum.
Hæc	*Clavis*	*clavem* / *clavim*		
Hoc	*Colluvium*	*ii*		& genere, terminatione, & declinatione.
Hæc	Colluvio / Colluvies	*onis* / *ei*		

ANNOT.

ANNOT.

4. Innumeræ ſunt voces, quas diverſimode proferas: e.g. *Ficus* Genitivo *fici*, vel *ficus*; *Domus domi*, vel *domus*, &c. At ſæpe in verſa ſignificatione; *Domi* enim ſolummodo uſurpatur reſpondo hujuſmodi Quæſtioni, *Ubi eſt pater?* Reſpondetur, *Eſt domi*; tamen, *Eſt in cacumine domi*, ſeu *domus*. Præterea paucæ voces per omnes Caſus in diverſis reperiuntur Declinationibus e. g. *domo* in Dativo, *dome* in Vocativo, *domis* in Dativo, & Ablativo pluralibus vix apud Vetuſtiſſimos reperies.

5. Plurima in prima, vel tertia declinatione reperiuntur e. g. *Juventa juventæ*, vel *juventus juventutis*; *Senecta ſenectæ*, vel *ſenectus ſenectutis*, &c. Multa in prima, vel quinta leguntur; ut, *Avaritia*, vel *avarities*, *Duritia*, vel *durities*, &c.

6. Compoſita ex *Animus*, *Clivus*, *Frænum*, *Jugum*, *Norma* cum multis aliis ſunt primæ, & ſecundæ; vel tertiæ declinationis; *unanimus*, *unanima*, *unanimum*, vel *unanimis*, *unanime*, &c.

7. Diligenter Notandum non omnem vocem varie flexilem Abundantibus eſſe accenſendam e. g. *Os oris*, & *oſſis* Abundans non eſt; quia *Os oris* aliud ſignificat, quam *Os oſſis*.

DEFICIENTIA.

8. Deficiens eſt, cui aliquid deeſt; ut, *Nuptiæ nuptiarum*: caret enim Singulari.

INDECLINABILIA.

9. Nomina in *u* non declinantur in Singulari; ut, *Cornu*.

10. Nomina in *i* nec in Singulari, nec Plurali; ut, *Gummi*, *Frugi*. Item Nomina literarum; ut, *a*, *b*, *c*, *alpha*, *beta*, &c. Sic Numerus cardinalis à *Quatuor* uſque ad *Centum*; ut, *Quatuor*, *Quinque*, *Sex* &c. Quibus addas *Fas*, *Nefas*, *Nil*, *Nihil*, *Tot*, *Quot*, *Quotquot*, *Quotcunque*, *Inſtar*, *Neceſſe*, *Præſto*, cum innumeris aliis.

11. Nonnulla in quibuſdam tantum Caſibus leguntur; ut, *Aſtu*, *Promtu*, *Diu*, *Noctu*, *Juſſu* in Ablativo ſolum legi ſolent. *Inficias* *Inficias*, *Suppetiæ ſuppetias* in Nominativo, & Accuſativo plurali tantum reperias.

12. Quædam uno, aut altero caſu deſtituuntur, e. g. *Precis*, *preci*,

preci precem, prece; *Vicis, vici, vicem*, &c. Deest Nominativus. *V*
vis; vim, vi, in Dativo non legitur. In plurali *vires, virium, vi*
bus; Interdum in Accusativo *Viis*, & contracte *vis*; ut ap
Lucret.

Et quo quisque magis vis multas possidet in se.

13. *Ego, Is, Illic, Ipse, Iste, Idem, Quis* Vocativo carere
sunt: at Cic. *O nox illa, quæ tantas tenebras huic urbi attulisti!*

SINGULARI DESTITUTA.

Cœlites,	*Ædes,*	*Idus,*	*Arma,*	*Mapalia.*
Manes,	*Diræ,*	*Induciæ,*	*Bellaria*	*Mœnia.*
Majores,	*Divitiæ,*	*Insidiæ,*	*Castra,*	*Munia.*
Minores,	*Exequiæ.*	*Kalendæ,*	*Cibaria,*	*Ostrea.*
Penates,	*Exuviæ,*	*Literæ,*	*Comitia,*	*Præcordia.*
Primores,	*Feriæ,*	*Minæ,*	*Compita,*	*Rostra.*
Posteri,	*Fores,*	*Nonæ,*	*Exta,*	*Serta.*
Superi,	*Grates,*	*Nugæ,*	*Magalia,*	*Sponsalia.*

14. His addantur nomina Librorum; ut, *Biblia*, *Chroni*
Bucolica, Georgica, &c. Ludorum; ut, *Apollinares*, i. e. ludi
laudem Apollinis; *Circenses*, i. e. ludi, qui in circo fiebant: Fe
storum; ut, *Bacchanalia, Saturnalia*, i. e. Bacchi, & Saturni fest
Urbium; ut *Athenæ, Parisiii*, &c. Numerorum; ut, *Duo, Tr*
Quatuor, &c. Postremo complura alia; ut, *Ambages, Charites*, *L*
tebræ, Tenebræ, Tot, Quot, Aliquot, &c.

15. Diligenter advertendum multas ex his vocibus ad cert
quandam significationem restringendas esse: e. g. *Majores*, i.
Antecessores, seu homines prioris sæculi. *Minores*, i. e. Poste
Literæ i. e. Epistola. *Ædes*, i. e. Domus: nam Ædes, i. e. Te
plum, singulare est, &c.

PLVRALI DESTITVTA.

Fimus,	*Fama,*	*Mors,*	*Ævum,*	*Jubar.*
Fumus,	*Fames,*	*Pax,*	*Cœnum,*	*Nectar.*
Nemo,	*Gaza,*	*Pix.*	*Fœnum,*	*Pus.*
Pulvis,	*Gloria,*	*Sitis,*	*Fel,*	*Sal.*
Ros,	*Humus,*	*Tabes,*	*Gelu.*	*Ver.*
Sanguis,	*Lux,*	*Vita,*	*Gluten,*	*Virus.*

16.

16. His addi solent nomina Virorum, Mulierum, Deorum, [D]earum, Regionum, Oppidorum; ut, *Jacobus*, *Maria*, *Jupiter*, *Juno*, [Ga]llia, *Londinum*. Adduntur & Mensurata; ut, *Vinum*, *Lac*, *Cervisia*, *Farina*, *Triticum*, &c. Item Abstracta; ut, *Bonitas*, *Malitia*, [Ju]stitia, &c.

17. Ista tamen omnia in plurali usurpantur, quoties exigit usus. [e.] g. *Tres dicuntur fuisse Joves*, *multi Cæsares*, *sex Jacobi Scotorum* [R]eges. At *Jacobus* (inquiunt) quâ proprium meum nomen significa, caret Plurali. Et sic *Liber* hunc meum librum significans Plurali destituitur.

VARIANTIA.

18. Varians est, quod nunc in hoc, nunc in illo genere, vel declinatione reperitur: e. g. *Hoc Cœlum* in singulari; *Hi Cœli* in [p]lurali. Item *Hoc Vas vasis* tertiæ; *Hæc Vasa vasorum* secundæ declinationis. Prius genus; posterius declinationem variat.

ANNOT.

19. Nulla vox proprie loquendo Varians est; sed tantum Abundans, vel Deficiens: e. g. *Vasa vasorum* non venit à *Vas vasis*, sed regulariter à *Vasum*, quod apud Gel. & Plaut. legas. Sic *Locus* in plurali *loci*, vel *loca* Varians non est, sed potius Abundans; vel, si vis, *Loca* Deficiens est, quippe quod singulari destituatur.

20. Hinc vides, usum plurima fecisse Irregularia, quæ revera non sunt: e. g. *Jovis* non à *Jupiter*, sed à *Jovis* venit secundum cujusdam Poetæ Versum.

Quem tremit ipse Jovis, quo Numina terrificantur.

21. *Jupiter* autem idem est, quod *Jovis pater* honoris gratia; unde brevitatis causa *Jupiter*. Sic *Itineris* non ab *Iter*, sed ab *Itiner* descendit. Idem judicium de reliquis.

CAP. VIII.

Adjectivorum Comparatio.

Gradus comparationis { Positivus; Comparativus; Superlativus; } ut, { *Doctus*. *Doctior*. *Doctissimus*. }

Comparativus formatur à Genitivo secundæ de-
clinationis, à Dativo tertiæ addendo *or*.

Docti doctior, *Felici felicior*, &c.

Superlativus addendo *s*, & *simus*.

Docti doctissimus, *Felici felicissimus*.

IRREGULARIA.

Finita in *er* Superlativum formant addito *rimus*; ut, *Miser mi-
serrimus*, &c. At *Dexter dextimus*; *Exter extimus*, vel *extremus*.

Hæc quinque in *ilis*, *Agilis*, *Facilis*, *Gracilis*, *Humilis*, *Simili*
murant *is* in *limus*; ut, *Agilis agillimus*, &c.

Composita ex *Dico*, *Facio*, *Loquor*, *Volo* sic comparantur.

Maledicus,	maledicentior,	maledicentissimus.
Magnificus,	magnificentior,	magnificentissimus.
Magniloquus,	magniloquentior,	magniloquentissimus.
Benevolus,	benevolentior,	benevolentissimus.

Ista sic.

Bonus,	melior,	optimus.
Magnus,	major,	maximus.
Malus,	pejor,	pessimus.
Nequam,	nequior,	nequissimus.
Parvus,	minor,	minimus.
Vetus,	veterior,	veterrimus.

DEFECTIVA.

Carentia Positivo;	Deterior,	deterrimus.
	Ocior,	ocissimus.
	Prior,	primus.
	Ulterior,	ultimus.
Carentia Comparativo;	Fidus,	fidissimus.
	Inclytus,	inclytissimus.
	Invitus,	invitissimus.
	Sacer,	sacerrimus.

Carentia

Carentia Superlativo,	Adolescens,	adolescentior.
	Juvenis,	junior.
	Opimus,	opimior.
	Senex,	senior.

His addatur.

Multus,		*plurimus.*
multa,		*plurima.*
multum,	*plus,*	*plurimum.*

Adverbia.

Bene,	*melius,*	*optimè.*
Malè,	*pejus,*	*pessimè.*
Cito,	*citius,*	*citissimè.*
Diu.	*diutius,*	*diutissime.*
Doctè,	*doctius,*	*doctissimè.*
Sæpe,	*sæpius,*	*sæpissime,* &c.

ANNOT.

1. Positivo in *us*, præcedente Vocali, adde pro Comparativo *Magis*, pro Superlativo *Maxime*; ut, *Idoneus, magis idoneus, maxime idoneus*; non *idoneior*, *idoneissimus*, &c. Non raro tamen leges, præsertim in Superlativo, *Assiduus, assiduior, assiduissimus*; *Pius piissimus*, vel *pientissimus*.

2. Defectiva vulgo aliis vocibus supplentur; ut, *Infra, inferior, infimus. Ultra, ulterior, ultimus. Ante, prior, primus. Celer, ocior, ocissimus*, &c.

3. Quædam à Regulis interdum deflectunt; *Agilis agilissimus*, pro *agillimus*; Charis. Et Contra; *Docilis docillimus*; pro *docilissimus. Imbecillis, imbecillimus*, pro *imbecillissimus*, &c.

4. Interdum ex Superlativo alii oriuntur Gradus; *Proximus, proximior*; *Postremus, postremissimus*; Apul. *Cum adolescentulis postremissimis.*

5. Sola Adjectiva comparantur, quorum significatio augeri vel minui potest; nec ea omnia; e. g. *Almus, Claudus, Egenus,*

cum multis aliis comparari non solent. Quædam tamen Adjectiva, quorum significatio augeri nequit, ob majorem Emphasin aliquando comparari reperias; *Ipse ipsissimus*, *Tuus tuissimus*. Posteriore hac voce appositissime utitur clarissimus *Humius* nostras Scholæ *Dunbariensis* Præceptor in oratione ad serenissimum Regum Jacobum sextum post quatuordecim annorum absentiam in *Scotiam* reversum anno 1617. *Dunglassiæ* 13. Maii. *Salve* (inquit) *Rex Regum illustrissime, homo hominum suavissime, & rerum optabilium tuis optatissime, tuis inquam non quod alii non sint etiam tui, sed quod nos debemus & volumus esse* (*ut ita dicam*) TUISSIMI.

6. Postremo Notandum, quædam Substantiva comparari; *Nero neronior*, &c. Verum *Nero* hic induit naturam Adjectivi; idem enim valet, quod *Crudelis*.

CAP. IX.

Annot. in Nomina.

I. *Divisio*

Nomen est	Substantivum; Adjectivum;	ut, *Pater.* *Paternus.*

Subdivisiones

Substantivum.	Proprium; Appellativum;	ut, *Carolus.* *Rex.*
Adjectivum	Comparabile; Incomparabile;	ut, *Doctus.* *Omnis.*
Incomparabile	Interrogativum; Relativum; Partitivum; Demonstrativum; Possessivum; Gentile; Numerale;	ut, *Quis.* *Qui.* *Quisque.* *Ille.* *Meus.* *Scotus.* *Octo.*
Numerale	Cardinale; Ordinale; Distributivum;	ut, *Tres.* *Tertius.* *Ternus.*

1. Ex

1. Ex his quædam facile cognoscuntur; alia cognitu vix sunt digna: reliquis igitur omissis de *Proprio* pauca dicemus.

Proprium quatuor habet species, { *Nomen.* / *Prænomen.* / *Cognomen.* / *Agnomen.* }

2. Nomen cuique peculiare est; ut, *Petrus, Joannes,* &c.

3. Prænomen honoris, aut discriminis gratiâ Nomini præponi solet; *Marcus Tullius,* &c. Hinc originem duxerunt Magnatum tituli; *Duces, Marchiones, Comites,* &c.

4. Cognomen familiam, aut cognationem indicat; ut, *Stuarti, Brussii Hamiltonii,* &c.

5. Agnomen ab eventu aliquo hominibus accidit. Ovidius (ut volunt) appellabatur *Naso*, quia magnum habebat nasum: Scipio, *Africanus*, quia Africam devicerat. Hinc originem habent pleraque gentis nostræ Cognomina; quod ex hoc unico apparebit. Quidam (ut ferunt) magni animi, & robusti corporis inter venandum ferum in sylvis *Caledoniis* taurum cornibus *Robertum Brussium Scotorum* Regem petentem averterat; inde *Turnbul* postea nominatus est. Vid. *Hect. Boët.* Fol. 11. Atque hinc advertas Agnomina in Cognomina vulgo transire; *Turnbul* enim viro isti Agnomen, posteris vero Cognomen erat.

II. *Divisio.*

Nomen est { Primitivum; / Derivativum; } ut, { *Amicus.* / *Amicitia.* }

6. Nulla certa tradi potest Regula, qua Derivativa (vel potius Derivata) à Primitivis formentur; ut ex sequentibus patet: à *Justus justitia*; à *Felix felicitas*; *Segnis segnities*; *Albus albedo*; *Pulcher pulchritudo*, &c. Hæc *Abstracta*, illa *Concreta* appellari solent.

7. Ad Derivativum reducatur Diminutivum; ut, à *Liber libellus*; ab *Homo homuncio*, &c.

8. Interdum ex Diminutivo aliud fit magis Diminutivum; ut, *Cista cistella*; inde *cistellula*. *Puer, puellus, puellulus,* &c.

9. Additur aliquando Adjectivum Diminutivum Diminutivum diminuens ſignificationem. *Cum parvulis filiolis*, Val. Max. Diminutivum autem dici poteſt Derivativum; ſed non contra.

III. *Diviſio.*

Nomen eſt { Simplex; Compoſitum; } ut, { *Similis.* *Perſimilis.* }

10. Nomen componitur ex duobus Nominibus, *Alteruter*; ex Nomine & Verbo, *Signiſer*; ex Nomine & Præpoſitione, *Perſimilis*.

11. Modus compoſitionis eſt incertus; interdum enim utraque vox integra manet; ut, *Reſpublica*. Aliquando litera mutatur, additur, vel aufertur; ut, *Corruptio*, ex *con* & *ruptio*. *Coitus* ex *con* & *itus*. *Ambitus* ex *am* & *itus*: quanvis hæc Simplicia in uſu non ſint.

12. His addas Compoſita ex ſyllabica (ut loquuntur) adjectione; ut, *Egomet*, *Tute*, *Quidam*, *Quædam*, *Quoddam*, &c.

13. Advertas hanc compoſitionem loquendi formam nonnihil mutare e. g. *Quæ mulier eſt?* at ſi præponas has ſyllabas *Ec*, *Ne*, *Si*, dicendum eſt *Ecqua*, *Siqua mulier*; non *Ecquæ*, &c. Itidem *Quidam*, *Quicunque*, *Quilibet*; non *Quisdam* dicendum eſt. Nec *Quavis*, *Qualibet* *Quadam*; Sed *Quævis*, in Nominativo ſcilicet. Hæc, & multa alia inter legendum obſervabis.

APPENDIX.

14. Simplicibus etiam Nominibus literas interdum addi, demi, mutari, tranſponi comperies: e. g, *Gnate*, pro *nate*, *Alituum* pro *alitum*, *Deûm* pro *Deorum*, *Duûm* pro *duorum*, *Oraclum* pro *oraculum*, *Seclum* pro *ſeculum*, *Flandre* pro *Flander*, &c.

CAP. X.

Patronymicum.

1. Patronymicum interpretatur *Patris nomen*: eſt enim dictio à nomine patris vulgo derivata; interdum ab aliis etiam vocibus; ut ex ſequenti tabula apparet.

A nomine.

Patris;	ut,	*Æacides,*	i.e.	Peleus Æaci filius.
Avi;		*Æacides,*		Achilles Æaci nepos.
Proavi;		*Æacides,*		Pyrrhus Æaci pronepos.
Matris;		*Phillyrides,*		Chiron Phillyræ filius.
Fratris;		*Phaethontias,*		Lampetia Phaethontis soror
Filii;		*Melagris,*		Althæa Melagri mater.
Regis;		*Romulidæ,*		Romani à Rege Romulo.
Mariti;		*Menelais,*		Helena Menelai uxor.
Deorum;		*Phœbas,*		Phœbi sacerdos.
Regionis;		*Thessalis,*		Mulier ex Thessalia.
Urbis;		*Troas,*		Mulier Trojana.

2. Patronymici terminationes quatuor, *as*, *e*, *is* fœmininæ, *es* masculina: *as*, & *is* tertiæ; *e*, & *es* primæ declinationis.

as ados;	ut,	*Pelias*	*Peliados,*	sicut,	*Lampas.*
is idos;		*Æneis*	*Æneidos,*		*Pyxis.*
e es;		*Nerine*	*Nerines,*		*Epitome.*
es æ;		*Mæonides*	*Mæonidæ,*		*Anchises.*

3. Modus formandi Patronymicum est admodum incertus, ut ex sequentibus exemplis pro Regulis positis patebit. Vulgo autem formatur à Genitivo, sed plerunque cum additione, mutatione, aut ablatione literarum, vel syllabarum.

4. ES. *Priamus Priami* Priamides, *Menætius Menætii Menætiades*, *Peleus* Pelei Pelides. *Hector Hectoris Hectorides*, &c.

5. AS. *OEta OEtæ OEtias*, *Peleus Pelei Pelias*, &c.

6. IS. *Priamus* Priami *Priamis*, *Æneas Æneæ Æneis*, &c.

7. E. *Nereus Nerei Nerine*, *Adrastus Adrasti Adrastine*, &c.

LIBER II.

De Præteritis, & Supinis.

CAP. I.

Prima Conjugatio format *avi*, *atum*.

Amo amavi, amatum, &c.

EX-

EXCEPTIONES.

Crepo, Cubo, Domo, Plico, Sono, Tono, Veto	ui,	itum.
Frico, Neco, Seco	ui,	ctum.

Lavo	lavi,	lotum. lautum. lavatum.
Poto	potavi,	potum.
Juvo	juvi,	jutum.
Mico	micui,	*deest.*
Do	dedi,	datum.
Sto	steti,	statum.

Composita *stiti*, *stitum*; *Insto institi, institum*, &c.

ANNOT.

1. *Accubo*, & cætera absque *m* scripta Primæ; *Accumbo*, &c. tertiæ conjugationis.

2. *Circundo*, *Pessundo*, *Satisdo*, *Venundo* Primæ; reliqua Composita ex *Do* Tertiæ.

3. *Supplico* habet *avi*, *atum*; *Applico*, *Complico*, *Explico*, *Implico avi*, *atum*, vel *ui*, *itum*. At, quæ componuntur ex *Plico*, & Nomine, tantum *avi atum*; ut, *Duplico*, *Triplico*, *Multiplico*, &c.

4. Omnia fere Verba à Regula excepta per *avi*, *atum* interdum leguntur; *Domaverunt*. Flor. *Classicum personavit*, Apul. *Secaturus*, Columb. *Refricaturus*, Cic. Hinc *Fricatio*, vel *frictio*. *Potitum* vulgare est.

CAP. II.

Secunda Conjugatio format *ui*, *itum*.
Moneo monui, *monitum*, &c.

EXCEPTIONES.

BEO.		
Jubeo	jussi,	jussum.
Sorbeo	sorbui, / sorpsi,	sorbitum. / sorptum.
CEO.		
Doceo	docui,	doctum.

Luceo	luxi,	*deest.*
Misceo	miscui,	mistum. / mixtum.
Mulceo	mulsi,	mulsum.
DEO.		
Ardeo	arsi,	arsum.

Mordeo	momordi,	morsum.
Nideo	deest.	
Pendeo	pependi,	pensum.
Prandeo	prandi,	pransum.
Sedeo	sedi,	sessum.
Spondeo	spopondi,	sponsum.
Strideo	stridi,	deest.
Suadeo	suasi,	suasum.
Video	vidi,	visum.

GEO.

Algeo	alsi,	deest.
Augeo	auxi,	auctum.
Frigeo	frixi,	deest.
Fulgeo	fulsi,	deest.
Indulgeo	indulsi,	indultum.
Lugeo	luxi,	luctum.
Mulgeo	mulsi,	mulctum.
Turgeo	tursi,	deest.
Urgeo	ursi,	deest.

LEO.

Deleo	delevi,	deletum.
Fleo	flevi,	fletum.
Pleo	plevi,	pletum.
Polleo	deest.	
Oleo	olui, / olevi,	olitum. / oletum.

Composita sæpius *evi*, *itum*; *Aboleo*, *abolevi*, *abolitum*, &c. *Adoleo adultum*.

MEO.

Timeo	timui,	deest.

NEO.

Maneo	mansi,	mansum.
Neo	nevi,	netum.
Teneo	tenui,	tentum.

QUEO.

Liqueo	licui,	deest.
Torqueo	torsi,	tortum.

REO.

Careo	carui,	caritum.
Hæreo	hæsi,	hæsum.

SEO.

Censeo	censui,	censum.

VEO.

Caveo	cavi,	cautum.
Conniveo	connivi, / connixi,	deest.
Ferveo	fervi,	deest.
Moveo	movi,	motum.
Paveo	pavi,	deest.
Voveo	vovi,	votum.

IEO.

Cieo	civi,	citum.
Vieo	vievi,	vietum.

ANNOT.

¶ 1. Verbum Neutrum formans Præteritum per *ui* caret Supino; ut, *Madeo madui*, &c. Excipe *Caleo*, *Doleo*, *Jaceo*, *Taceo*, *Valeo*; quæ, si non ipsum Supinum, saltem aliquid inde formatum habent; e. g. *Valitum* in usu non est, non raro tamen reperies *Valiturus*. Hinc est

est, quod quædam describamus Præterita, & Supina, quæ nescio, an apud ullum authorem reperias; ut, *frixi* à *frigeo*; *sapitum* à *sapio*; *campsum* à *cambio*. Sic *ceculi* à *cællo*; *cellui* à *cello* non leguntur, nisi in Compositis; ut, *percællo perculi*; *antecello antecellui*. Sunt, qui putant *perculi* scribi pro *percellui*; & *cællo* cum æ diphthongo idem esse, quod *cello* cum vocali. De Supino autem *celsum* haud parum litigatur. Ipsum in usu non est; & hæ voces *excelsus*, *præcelsus*, quas inde derivari putes, à quibusdam *Nomina*, ab aliis *Participia* statuuntur. Nos infinitas hujusmodi quæstiunculas in medio relinquimus.

2. *Sorpsi sorptum* non à *sorbeo*, sed à *sorbo* tertiæ Conjugationis formatur. Sic *civi, citum* non à *cieo*, sed *cio* quartæ. Idem de multis aliis sit judicium.

CAP. III.

Tertia Conjugatio Regulam generalem non habet.

BO.

Finita in *bo* dant *bi*, *bitum*.

Bibo	*bibi*,	*bibitum*.

at

Lambo	lambi,	*deest*.
Scabo	scabi,	*deest*.
Nubo	nupsi,	nuptum.
Scribo	scripsi,	scriptum.

SCO, & CO.

Sco mutatur in *vi*, *tum*.

Cresco	*crevi*,	*cretum*.

at

Agnosco	agnovi,	agnitum.
Cognosco	cognovi,	cognitum.
Dico	dixi,	dictum.
Disco	didici,	discitum.
Duco	duxi,	ductum.
Parco	{parsi	parsum.
	{peperci,	parcitum.
Pasco	pavi,	pastum.
Posco	poposci,	poscitum.
Vinco	vici,	victum.

Verba Inchoativa carent Præterito; ut, *Frigesco*.

DO

Do mutatur in *di*, *sum*.

Cudo	*cudi*,	*cusum*, &c.

at

Composita ex *Do* habent *didi*, *ditum*.

Addo	addidi,	additum.
Credo	credidi,	creditum.
Edo	edidi,	editum, &c.
Abscondo	abscondi,	absconditum
Cado	cecidi,	casum.
Cedo	cessi,	cessum.
Cædo	cecîdi,	cæsum.
Claudo	clausi,	clausum.

Divido

Divido divisi divisum.
do edi, esum.
undo fudi, fusum.
zdo læsi læsum.
udo lusi, lusum.
do pepedi, peditum.
endo pependi, pensum.
Plaudo plausi, plausum.
ado rasi, rasum.
Rodo rosi, rosum.
Rudo rudi, *deest*.
cindo scidi, scissum.
ido sidi, *deest*.
Tendo tetendi { tentum. / tensum.
Tundo tutudi, tunsum.
Composita *tusum*; *Contundo contusum*, &c.
Vado vasi vasum.

GO & GUO.

Go, vel *guo* mutatur in *xi* & *ctum*.

Affligo afflixi afflictum.
Distinguo distinxi, distinctum.

at

go egi actum.
Ambigo *deest*.
ngo anxi, *deest*.
lango clanxi, *deest*.
rango fregi, fractum.
igo frixi, frixum.
ego legi, lectum.

Sic Composita; præter *Diligo dilexi, dilectum*; *Intelligo intellexi, intellectum*; *Negligo neglexi, neglectum.*

Fingo finxi, fictum.
Mergo mersi, mersum.
Meio minxi, mictum.
Mingo obsoletum est.
Pango { panxi, / pepigi, / pegi, } pactum.
Pergo perrexi, perrectum.
Pingo pinxi, pictum.
Pungo { pupugi, / punxi, } punctum.
Spargo sparsi, sparsum.
Stringo strinxi, strictum.
Surgo surrexi, surrectum.
Tango tetigi, tactum.
Tergo tersi, tersum.
Vergo *deest*.

HO.

Traho traxi, tractum.
Veho vexi, vectum.

LO.

Lo format *ui*, *itum*.

Molo molui, molitum.

Alo alitum, vel *altum*. *Colo*, *Consulo*, *Occulo* habent *ultum*; ut, *colo cultum*, &c.

at

Cællo cecului, culsum.
Cello cellui celsum.
Vide Annot. in secundam Conjugationem.

Fallo fefelli, falsum.
Pello pepuli, pulsum.
Psallo psalli, *deest*.
Refello refelli, *deest*.
Sallo salli, salsum.

Tollo sustuli, sublatum.
Vello {velli, vulsi,} vulsum.

MO.

mo format *ui*, *itum*.
Fremo fremui, fremitum,
at
Tremo tremui, *deest*.
Como comsi, comtum.
Demo demsi, demtum.
Emo emi, emtum.
Promo promsi, promtum.
Premo pressi, pressum.
Sumo sumsi, sumtum.

Alii *sumpsi*, *sumptum* scribendum aiunt, &c.

NO.

Cano cecini, cantum.

Composita *ui*, *entum*, *Præcino præcinui*, *præcentum*, &c. At Sal. *Cornicines occanuerunt*.

Cerno crevi, cretum.
Gigno genui, genitum.
Lino {lini, livi,} litum.
Pono, posui, positum.
Sperno sprevi, spretum.
Sterno stravi, stratum.

Compositum *Consterno avi*, *atum* primæ Conjugationis ad animum pertinens, *Consternata multitudo* Liv. i.e. animo dejecta. Ad corpus vero Tertiæ; *Constr humi corpora*.

Temno temsi, temtum.

PO.

Po format *psi*, *ptum*.
Carpo carpsi, carptum.
at
Crepo crepui, crepitum.
Rumpo rupi, ruptum.
Strepo strepui, strepitum.

QUO.

Coquo coxi, coctum.
Linquo liqui, *deest*.

Composita *lictum*, *Relinq relictum*, &c.

RO.

Curro cucurri, cursum.

Hæc quatuor *Decurro*, *Excurro*, *Præcurro*, *Procurro* plerunque geminant Præteritum; reliqua raro.

Fero tuli, latum.
Furo furui, *deest*.

Furuerunt jussa tyranni Sedul.

Gero gessi, gestum.
Quæro quæsivi, quæsitum.
Sero sevi, satum.

Composita mutant Præteritum, quoties mutant significationem; *Assero*, i.e. prope sero, *assevi assitum*; at *Assero*, i.e. *Affirmo*, *asserui assertum*, &c.

Te

Tero trivi, tritum.
Verro verri, verſum.
Uro uſſi, uſtum.

SO.

ſſo ivi, itum.

Arceſſo arceſſivi, arceſſitum.

at

Faceſſo faceſſi faceſſitum.

Faceſſi pro *faceſſii*, & hoc pro *faceſſivi.*

Inceſſo inceſſi *deeſt.*
Depſo depſui *deeſt.*
Pinſo pinſui piſtum.
Viſo viſi viſum.

T O.

Flecto flexi, flexum.
Meto meſſui, meſſum.
Necto {nexi, nexui,} nexum.
Pecto {pexui, pexi,} pexum.
Peto petivi, petitum.
Plecto plexi, plexum.
Siſto ſtiti, ſtatum.
Siſto *deeſt.*

Prius Activum ; poſterius Neutrum eſt.

Sterto ſtertui, *deeſt.*
Verto verti, verſum.

V O.

Calvo calvi, *deeſt.*
Solvo ſolvi, ſolutum.
Vivo vixi, victum.
Volvo volvi, volutum.

X O.

Nexo nexui, nexum.
Texo texui; textum.

I O.

Duo ſunt obſoleta Verba, quorum Compoſita in magno uſu ſunt ſc. *Lacio* , & *Specio.*

Allicio allexi, allectum.
Pellicio pellexi, pellectum.

At *Elicio ui, itum.*

Aſpicio aſpexi aſpectum.
Conſpicio conſpexi conſpectum.
Capio cepi, captum.
Cupio cupivi, cupitum.
Facio feci, factum.
Fodio fodi, foſſum.
Fugio fugi, fugitum.
Jacio jeci, jactum.
Pario peperi, {partum. paritum.}
Quatio quaſſi, quaſſum.

Compoſita *cuſsi, cuſſum, Concutio concuſsi* , *concuſſum*, &c.

Rapio rapui, raptum.
Sapio {ſapui, ſapivi,} ſapitum.

U O.

uo ui, utum.

Acuo acui acutum, &c.

Gluo , *Congruo* , *Metuo* carent Supinis.

At

Fluo	fluxi,	fluxum.
Ruo	rui,	ruitum.

Composita *utum*; *Diruo dirutum.*

Pluo	{plui, pluvi,}	plutum.

Raro legitur nisi in tertia Singulari.

Struo	struxi,	structum.

CAP. IV.

Quarta Conjugatio format *ivi*, *itum*. *Audio audivi*, *auditum*, &c.

EXCEPTIONES.

Amicio	amicui,	amictum.
Aperio	aperui,	apertum.

At *Comperio comperi*; *Reperio reperi.*

Cambio	campsi,	campsum.
Farcio	farsi,	fartum.
Ferio	ferii,	feritum.
Fulcio	fulsi,	fultum.
Haurio	hausi,	haustum.
Raucio	rauci,	rausum.
Salio	salui,	saltum.

Composita *ultum*, *Insilio insultum.*

Sancio	sanxi,	sanctum.
Sentio	sensi,	sensum.
Sepelio	sepelivi,	sepultum.
Sepio	sepsi,	septum.
Singultio	singultivi,	singultum.
Veneo	venivi,	venum.
Venio	veni,	ventum.
Vincio	vinxi,	vinctum.

ANNOT.

1. Pleraque ex his Verbis per *ivi*, *itum* sæpius leguntur; *Haurio haurivi*, *hauritum*. Sic *Salio*, *Sancio*, *Cambio*, &c.

2. *Ferio* Præterito & Supino carere volunt, & supplendum per aliud Verbum, nempe *percussi* à *percutio*: apud Petrar. tamen reperies *feritum*.

Pax populo, ducibusque placet, fœdusque feritum.

3. Meditativa carent Præterito; ut, *Dicturio*, *Lecturio*, &c. Excipe *Esurio*, *Nupturio*, & *Parturio*.

4. Verba, quæ Præterito carent, carent & Supino.

CAP.

CAP. V.

Verba in or

Verba in *or* formanda sunt secundum Regulas Verborum in *o*; e. g. *Precor precatus sum:* quia, si fingas vocem activam, esset *Preco precavi, precatum*, &c.

EXCEPTIONES.

Fateor	fassus.
Misereor	misertus.
Reor	ratus.
Apiscor	aptus.
Comminiscor	commentus.
Expergiscor	experrectus.
Fruor	fructus. fruitus.
Gradior	gressus.
Labor	lapsus.
Loquor	locutus.
Morior	mortuus.
At	moriturus.
Nanciscor	nactus.
Nascor	natus.
At	nasciturus.
Nitor	nisus. nixus.
Obliviscor	oblitus.
Paciscor	pactus.
Patior	passus.
Proficiscor	profectus.
Queror	questus.
Sequor	secutus.
Ulciscor	ultus.
Utor	usus.
Experior	expertus.
Metior	mensus.
Opperior	oppertus.
Ordior	orsus.
Orior	ortus.
At	oriturus.

CAP. VI.

Verba Composita.

Verbum Compositum mutans *a* in *i* in Præsente, format Supinum per *e*.

Facio factum; *Efficio effectum*, &c.

Excipe finita in *do*, & *go*; ut, *Cado casum*; *recido recasum* *Ago actum*; *abigo abactum*, &c. His adde Composita ex *Habeo*, *Salio*, *Sapio*, *Statuo*; ut, *Habeo habitum*, *Inhibeo inhibitum*, &c.

Etsi Simplex geminat Præteritum, Compositum no
geminat.

Tendo tetendi ; *Attendo attendi*. *Mordeo momordi* : *Con*
mordeo commordi.

Excipe Composita ex *Do*, *Sto*, *Disco*, *Posco*, *Curro*, &
Pungo : quæ omnia, ut & reliqua Composita irregularia i
propriis locis patent.

CAP. VII.

Annot. in Verba.

I. *Divisio.*

Verbum est	Personale ; Impersonale ;	ut,	*Amo amas*, &c. *placet placebat*, &c

Subdivisiones

Personale fit in	*o* ; *r* ; *m* ;	ut,	*Amo.* *Loquor.* *Sum.*
Verbum in *o* est	Activum ; Passivum ; Neutrum ;	ut,	*Doceo.* *Fio.* *Valeo.*
Verbum in *r* est	Activum ; Passivum ; Neutrum ; Commune ;	ut,	*Loquor.* *Doceor.* *Philosophor.* *Osculor.*

1. Idem Verbum nunc Personale, nunc Impersonale habetur : e.g. *Omnibus placeto. Non placet mihi studere.* In priore oration *Placet* Personale, in posteriore Impersonale dici solet. Verum utrumque Personale statui potest ; nam *Non placet mihi studere* idem est, ac *Studium non placet mihi.*

2. Activum aliud est terminatione, aliud significatione : prius semper fit in *o* passivam admittens formam ; ut, *Amo, amor* : posterius sub quavis terminatione activè significat ; ut, *Lego*, *Loquor*, &c.

3. Passivu

3. Paſſivum etiam aliud eſt terminatione, aliud ſignificatione: illud ſemper fit in *or* activam reſumens formam; ut, *Audior audio*: hoc etiam fit in *o*; ut, *Fio*, *Veneo*, *Liceo*; & (ut quidam volunt) *Nubo*, *Exulo*, *Vapulo*.

4. Neutrum fit in *o*, vel *r*; hoc activam, illud paſſivam formam admittere nequit. Diligenter autem notandum plurima Verba cenſeri Neutra, quæ revera non ſunt; e.g. *Noceo* vulgo Neutrum habetur, quia nimirum *Noceor* in uſu non eſt. Pari ratione nec *Facio* Activum erit; paſſivam enim formam non admittit. Et, ut hoc à *Fio* ſua mutuatur Tempora; cur non & illud à *Lædor*.

5. Commune fit ſemper in *r* active, aut paſſive ſignificans: cujuſmodi ſunt hæc cum multis aliis *Adulor*, *Amplector*, *Obliviſcor*, *Solor*, &c. Advertas tamen hæc Verba raro paſſive ſignificare, niſi in Participiis.

6. Unicum tantum eſt in *m*, ſc. *Sum* cum Compoſitis, *Abſum*, *Adſum*, &c. Hoc Verbum vulgo Subſtantivum dicitur, quia aliis Verbis ſubſtat, & inſervit.

II. *Diviſio.*

Verbum eſt	Primitivum;	ut,	*Horreo.*
	Derivativum;		*Horreſco.*

Sex formæ Derivativorum.

Denominativum;	ut,	*Lignor:*	i.e.	Paro lignum.
Imitativum;		*Patriſſo:*		Imitor patrem.
Incœptivum;		*Caleſco:*		Incipio calere.
Frequentativum;		*Clamito:*		Clamo ſæpe.
Deſiderativum;		*Dicturio:*		Cupio dicere.
Diminutivum;		*Sorbillo:*		Sorbeo parum.

7. Priora duo à Nominibus, reliqua à Verbis vulgo derivantur.

8. Imitativum dici poteſt Denominativum, ſed non contra; hoc enim à voce; illud à ſignificatione Nomen ſortitur. Imitativa autem fiunt vel in *iſſo*; *Græciſſo*, i. e. Græcos imitor; *Atticiſſo*; Atticos imitor: vel in *or*; ut *Græcor*, *Vulpinor*, &c.

9. Incœptivum, quod & Inchoativum nominatur, formatur à

secunda persona præsentis Indicativi addendo syllabam *co*; *Tremo tremis*, hinc *Tremisco*; *Ardeo ardes*, *Ardesco*, &c. At *Hisco* contrahitur pro *Hiasco* ab *Hio*, *hias*.

10. Impersonale eandem servat formam; *Miserescit* à *Miseret*, *miseres*.

11. Frustra contenditur, num *Ægresco*, *Repuerasco*, *Senesco*, & similia, à Nominibus, an à Verbis descendant: eodem enim redit, si ab *Æger*, *Puer*, *Senex*; vel ab inusitatis Verbis *Ægreo*, *Repuereo*, *Seneo* originem habere dicas.

12. Omnia Incœptiva fiunt in *sco*, non tamen omnia in *sco* sunt Incœptiva; ut, *Disco*, *Pasco*, &c. Discrimen autem esse potest, quod hæc Activa, illa Neutra sint; hæc Præteritum habeant, illa non. In hoc conveniunt, quod omnia in *sco* sint tertiæ conjugationis.

13. Frequentativum, seu Iterativum formatur à Supino in *u*, mutando *u* in *o*; ut, *Dico dictu*; inde *dicto*, &c. Si vero Supinum desinat in *atu*, converte *atu* in *ito*; ut, *Clamo clamatu*; hinc *Clamito*, &c.

14. Quædam hunc formandi modum non servant; e. g. *Ago actu*; non tamen *Acto*, sed *Agito*: sic *No natu*, non *Nito*, sed *Nato*, &c. Quidam hæc posteriora formant à secunda præsentis Indicativi delendo *s*; ut, *Ago agis Agito*, *Fugio fugis Fugito*; *Quæro quæris quærito*, &c. Si vero fiant in *r*, fingunt vocem activam; ut, *Loquor loquo*, *loquis Loquitor*, &c. si enim fuit *or*, manet *or*.

15. Dicuntur Frequentativa, quia frequentem denotant actionem: suntque omnia primæ Conjugationis. Quidam excipiunt *Nexo*, & *Viso*: quæ num Frequentativa sint, necne, lectoris esto judicium.

16. Interdum ex Frequentativo fit aliud magis Frequentativum; ut, ex *Dico dictu* formatur *Dicto*; & ab ejus Supino *dictatu* fit *Dictito*, &c.

17. Desiderativum, vel Meditativum formatur etiam à Supino in *u* addendo *rio*; ut, *Dico dictu Dicturio*, &c. Appellatur Desiderativum, quia Desiderium significat; ut, *Esurio*, i.e. Cupio edere.

18. Omnia in *rio* non sunt Desiderativa; ut, *Ligurio*, &c.

19. Diminutivum fit in *illo*; *Cantillo*, *Sorbillo*, &c. Appellatur Diminutivum, quia Primitivi minuit significationem. Suntque omnia primæ Conjugationis.

20. Ultimo

20. Ultimo notandum hæc omnia Verba non raro eandem cum imitivis habere significationem, ita ut *Clamo* cum *Clamito*, *Taceo* m *Conticesco* idem sint. *Edo* tamen cum *Esurio* idem significare n potest.

III. *Divisio.*

Verbum est	Simplex,	ut,	*Duco.*
	Compositum,		*Adduco.*

21. Verba componuntur ex duobus Verbis; ut, *Calefacio*, ex *leo* & *facio*, nisi dicas ex *calidus* & *facio*. Ex Nomine, & Verbo, *Belligero*, ex *bellum* & *gero*. Ex Præpositione & Verbo, *Prædico*. Ex Adverbio & Verbo, *Benedico*, &c.

22. Modus Compositionis est incertus: interdum enim utraque vox manet integra; sæpius literæ mutantur, adduntur, vel demuntur. *Abeo*, ex *ab* & *eo*. *Colligo*, ex *con* & *lego*. *Redeo*, ex *re* & *eo*. *Coeo*, x *con* & *eo*, &c.

APPENDIX.

23. Simplicia etiam Verba non parvam literarum mutationem iuntur; ut ex his patet, *Volt* pro *vult*: *fiet* pro *fit*: *dicier* pro *dici*: *amasti* pro *amavisti*: *dixti* pro *dixisti*: *it* pro *iit*; & *iit* pro ivit: *viden* pro *videsne*: *dixtin* pro *dixistine*: *dic*, *duc*, *fac*, *fer*; pro *dice*, *duce*, *face*, *fere*. Sic *benefac* pro *beneface*. At non *affic*, sed *affice*, *perfice*, &c.

24. Si quis diligenter revolvat Antiquorum scripta, longe plura comperiet; *Duis* pro *des*; *duint* pro *dent*. *taxis* pro *tangas*, &c.

IV. *Divisio.*

Verbum est	Regulare;	ut,	*Amo*, *amas*, *amavi.*
	Irregulare;		*Do*, *das*, *dedi.*

25. De multis Irregularibus jam actum. Hic de Abundantibus & Deficientibus pauca dicemus.

ABUNDANTIA.

26. Jam vidimus complura Verba varie Præteritum formare, quibus addas cum innumeris aliis.

Cœno *cœnavi*, vel *cœnatus sum*.

Prandeo prandi, vel ***pransus sum.***
Libet libuit, vel ***libitum est.***
Licet licuit, vel ***licitum est***, &c.

27. His subjungas Verba, quæ *Neutro-passiva* nuncupantur, *Audeo, Gaudeo, Mœreo, Soleo*; quæ proprio præterito destituta per Participium & Verbum *Sum* supplentur; *ausus sum, gavisus sum, mœstus sum, solitus sum.* Reperies tamen *solui* apud Salust. *Subsidiis neque uti soluerat dispositis.*

28. Quædam in diversis reperiuntur Conjugationibus; e. g. *Lavo lavas* primæ Conjugationis; & *lavis* tertiæ. Sic *Orior*, & *Potior* tum in Tertia, tum Quarta legas, saltem in quibusdam personis.

DEFICIENTIA.

29. Ex his etiam non pauca jam manifesta sunt: quibus hic adjicimus *Liquor, Medeor, Prævertor, Reminiscor, Ringor, Vescor* Præterito destituta. Quæ sic suppleas, *Medeor medicatus sum, Reminiscor recordatus sum*, &c.

30. Et contra *Novi, Odi, Cœpi, Memini* in Præsente non leguntur, quoad terminationem: *Novi* idem est, quod *scio*, & *scivi*; *Odi* idem, quod *habeo*, & *habui odio*: reperies tamen *memento*, & *mementote*; & interdum *nosco*: quod in Compositis vulgare est, *agnosco, cognosco*, &c.

31. Nonnulla quibusdam tantum personis destituuntur; e. g. *Dor, Der, For, Fer*, in usu non sunt nimirum in Simplicibus.

32. Postremo plurima Verba hoc, aut illo Tempore carent; e. g. *Soleo* in Futuro *solebo* quam, quæso, habebit significationem?

Summa reliquorum.

Indic.	Præs.	*Aio, ais, ait, aiunt.*
	Imp.	*aiebam, bas, bat, bamus*, &c.
	Perf.	*aisti, aistis.*
Subjunc.	Præs.	*aias, aiat, aiatis, aiant.*

Inde.

Indic.	Præs.	*Inquam*, vel *inquio, quis, quit, quimus, quitis, quiunt.*
	Imp.	*inquiebat, inquiebant.*
	Perf.	*inquisti.*
	Fut.	*inquies, inquiet.*
Imperat.	Præs.	*inque, inquito.*

Edo sequentia à *Sum* mutuatur.

Indic.	Præs.	*es est, estis.*
Subjunc.	Imp.	*essem, ses, set,* &c.
Imperat.	Præs.	*es, esto, este, estote.*
Infin.	Præs.	*esse.*

Sic Composita. *Comedo, comes, comest,* &c.

Apage, apagete, i. e. abduc, abducite.

Ave, avete, aveto, avetote, i. e. salve, salvete, &c.

Ausim, ausis, ausit, ausint, i. e. audeam, &c.

Cedo, cedite, i. e. dic, vel da, dicite, vel date.

Faxo, vel *faxim, faxis, faxit, faxint,* i. e. faciam, &c.

Forem, res, ret, &c. i. e. essem.

Fore, i. e. futurum esse.

Ovat, ovans, i. e. triumphat, triumphans.

Quæso, quæsumus, i. e. oro, oramus.

SECUNDA



SECUNDA PARS GRAMMATICÆ

DOcet voces in oratione congrua construere.

Voces, vel aliæ cum aliis concordant, vel aliæ ab aliis reguntur. Prius *Concordantiam*; posterius *Regimen* appellamus.

Concordantia est quintuplex.
- *Adjectivi cum Substantivo.*
- *Substantivi cum Substantivo.*
- *Relativi cum Antecedente.*
- *Responsivi cum Interrogativo.*
- *Nominativi cum Verbo.*

Concordantia Adjectivi cum Substantivo.

Adjectivum concordat cum Substantivo in Genere, Numero, & Casu.

Vir bonus. Modesta fœmina. Ferum animal. Quis vir. Quæ mulier. Quod jumentum, &c.

ANNOT.

1. Substantivum interdum supprimitur; ut, *Vescor ferinâ*, sc. *carne. Laboro tertianâ*, sc. *febri*, &c. His addas Adjectiva, quæ Substantivi naturam induerunt; ut, *Aprilis*, sc. *mensis. Oriens*, sc. *plaga, tractus*, vel *Sol. Grammatica*, sc. *ars*, &c. Addas etiam Adjectiva in Neutro genere substantivata; *Deus creavit omnia*, i. e. *res omnes. Turpe senex miles*, Ovid. i. e. *res turpis.* Quidam aiunt, hic supprimi *Negotium*; *omnia negotia*; *turpe negotium*, asserentes *Res* & *Negotium* idem significare. Postremo addas, ubi Concretum (ut loquuntur) ponitur pro Abstracto; *Verum dicere*, i. e. *veritatem. Serventissimus æqui*, i. e. *æquitatis*, Virg.

2. Ad-

2. Adjectivum interdum convenit cum Substantivo aliquo su-pressô, non cum eo, quod exprimitur; *Transtulit in Eunuchum su-* Ter. sc. *Comœdiam. Centauro invehitur magna*, Virg. sc. *navi.* hoc sensu dicas, *Londinum est pulchrum*, vel *pulchra*, sc. *urbs.* Magnu vel *magna B*, sc. *litera*, &c.

3. Plura Adjectiva cum unico Substantivo concordare possun *Meus ille caper fuit.* Virg. *Solus sapiens est dives*, &c.

4. Cum unicum Adjectivum comitatur duo Substantiva dive generis, convenit cum utrolibet; ut, *Paupertas visa est mihi on* Ter. vel *visum. Non omnis error stultitia est dicenda*, Cic. v *dicendus.* Concordat tamen plerunque cum principaliore; ut, *Se miramis puer credita est*, Just. non *creditus.* Notandum autem prin cipalius Substantivum hic intelligi illud, de quo præcipue fit men tio, & non, quod naturâ dignius est; e. g. *Porcus fœmin natus.*

5. Duo, vel plura Substantiva Conjunctione, vel Præpositione *Cum* copulata vim habent pluralem; ut, *Rex & Regina irati sun Juno cum Minerva tristes redeunt*, Apul.

APPENDIX.

De dignitate Generum.

1. Masculinum dignius est Fœminino, Fœmininum Neutro in rebus animatis; ut, *Petrus & uxor sunt mortui. Lena & scortum impudicæ.* In inanimatis Neutrum dignissimum habetur; *Decus & gloria in oculis sita sunt.* Sal. At sæpe aliter videas; *Leges & Ple-biscita coactæ*, Lucan. *Quid de vitibus, olivetisque dicam, quarum uberrimi fructus*, Cic.

2. Adjectivum interdum in Neutro reperias, etiamsi nullum ex Substantivis sit neutri generis; *Labor & voluptas sunt dissimil-lima*, Liv.

Concordantia Substantivi cum Substantivo.

Duo, vel plura Substantiva ad eandem rem pertinen-tia conveniunt in eodem casu.

Carolu

Carolus Rex, Urbs Edinburgum, Domine Jesu Christe miserere nostri.

Interdum alterum in Genitivo videas; *Urbs Antiochiæ*, Cic. *Est mihi nomen Jacobi*, &c.

APPENDIX.

1. Concordantia Adjectivi cum Substantivo, aut plurium Substantivorum inter se frequenter fit intercedente Verbo Intransitivo; *Deus est justus. Terra dicitur immobilis. Præceptor rediit iratus. Clamando rumpor medius. Carolus est Rex. Ego vocor Jacobus*, &c.

2. Diligenter notandum eundem casum sequi, qui Verbo præcesserit; *Deus est justus*; *dico Deum esse justum. Novi præceptorem rediisse iratum. Licet tibi esse docto*, &c. Interdum *Licet tibi esse doctum. Placet mihi evasisse divitem.* Sed hic supprimi volunt Accusativum, sc. *Licet tibi te esse doctum*, &c.

3. Hæc Verba vulgo appellari solent *Substantiva*, *Vocativa*, & *eorum vim habentia*. Nos satius duximus sub unico nomine comprehendere, appellando Verba *Intransitiva*: omne enim Verbum vel est *Transitivum*, vel *Intransitivum*. Per prius casus à fronte Verbi transit in aliud objectum; ut, *Ego amo Regem*: per posterius Casus à tergo Verbi redit ad Casum à fronte rectum, i. e. uterque rem eandem significat; ut, *Ego vocor Jacobus.* Interdum quidem accidit, ut Casus à fronte Verbi Transeuntis idem denotet, quod Casus à tergo Verbi; ut, *Ego amo me*: habet tamen Transeuntis naturam, quod Verbo Intransitivo nequaquam convenit. Atque hinc Transitivum dici potest interdum Intransitivum; sed non contra.

Concordantia Relativi cum Antecedente.

Relativum convenit cum Antecedente in genere, numero, & persona.

Vir sapit, qui pauca loquitur. Laudanda mulier, quæ modeste se gerit. Nullum est animal, quod leonem superat. Culpandus sum ego, qui semper ludo. Laudandus tu, qui multum studes.

ANNOT.

ANNOT.

1. Antecedens eleganter interdum supprimitur; ut, *Sunt, qui nec Deum, nec homines verentur*, sc. *aliqui*. *Misit, qui nunciaret adventare hostes*, sc. *aliquem*. His adde illud Catulli; *Non videmus manticæ, quod in tergo est*, i. e. *Non videmus id manticæ, quod*, vel *eam manticæ partem, quæ in tergo est*.

2. Interdum Antecedens, & Relativum genere, vel numero dissentiunt; ut, *Ubi scelus, qui me perdidit*, Ter. *Scelus* pro *scelestus*. *Vestrâ interest, qui patres estis*. Sed de hoc alibi.

3. Cum Relativum locatur inter duo Substantiva diversi generis, convenit cum utrolibet; *Est animal, quod*, vel *quem vocamus hominem*.

4. Antecedens interdum una cum Relativo repetitur; *Ultra eum locum, quo in loco Germani consederant*; Cæs. *Diem dicunt, qua die omnes conveniant*, Id.

5. Ex his videas hanc esse concordantiam Adjectivi cum Substantivo; semper enim supprimitur Substantivum, vel cum Antecedente, vel cum Relativo; quod ex hac Virgilii oratione patet; *Urbem quam statuo, vestra est*: sc. *Urbs, quam urbem statuo, vestra est*. Ex tabula autem discatur

Diversus Relativi situs.

Urbs, quam statuo,	*vestra est.*	vulgo.
Quam statuo urbem,		ornate.
Urbs, quam urbem statuo,		raro.
Urbem quam statuo,		poëtice.

6. Aliæ etiam sunt voces Relativi vim habentes; cujusmodi sunt *Qualis, Unde, Cur*; e. g. *Talis sum, qualem me creavit Deus. Non est mihi pecunia, unde emam libros, Quid causæ est, cur nos tam raro invisas?*

Concordantia Responsivi cum Interrogativo.

Interrogativum & Responsivum concordant in Casu.

Quem librum legis?	Resp.	*Virgilium.*
Cui dedisti epistolam?		*Tabellario.*

ANNOT.

ANNOT.

Exceptiones ex propriis Regulis patent; e. g. *Quanti emisti?* Resp. *Asse.* *Cujus interest?* Resp. *Meâ, Nostrâ,* &c.

DEBITA RESPONSA.

Interrogatio		Responsum
Quid es?	Resp.	*Homo.*
Quis es?		*Petrus.*
Cujus es?		CHRISTI.
Cujas es?		*Scotus.*
Qualis es?		*Sapiens.*
Quantus es?		*Bipedalis.*
Quotus es?		*Primus.*
Quot habes libros?		*Decem.*
Quotum agis annum?		*Decimum.*
Quod habes nomen?		*Jacobus, bi, bum.*
Quo gaudes nomine?		*Jacobus, bi, bo.*
Quid agis?		*Scribo.*
Quid agitur?		*Scribitur.*
Interfuistin concioni?		*Interfui.*

Concordantia Nominativi cum Verbo.

Verbum Personale finiti Modi habet ante se Nominativum expressum, vel suppressum ejusdem numeri, & personæ.

Expressum; *Ego lego. Tu scribis. Petrus ludit. Nos currimus. Vos statis. Tempora labuntur.*

Suppressum; *Gaudeo, quod vales.*

ANNOT.

1. Ego est primæ personæ; *Tu* secundæ; *Ille* tertiæ cum omnibus aliis vocibus, excepto Relativo, quod est personæ Antecedentis, ut jam dictum.

2. Ego, & *Tu* raro exprimuntur, nisi vel propter personæ discriminationem, aut majorem Emphasin, v. g. *Lude tu, ego interim studebo. Tune ille Æneas?*

3. Vox *Homines* ſere ſemper ſupprimitur in hujuſmodi oratio-bus, *Ita aiunt. Sic ferunt, dicunt*, &c.

4. In his, & ſimilibus, *Pluit, Ningit, Dieſcit, Nocteſcit*, &c. ſ... primi volunt *Deum, Naturam, Pluviam, Cœlum*, aut aliquid ej... modi. Apud Stat. *Saxa pluunt.* Apud Liv. *Carne, Lacte, Sangu... pluit.*

5. Nominativus & Verbum interdum numero diſſentiunt; *Il... quæ ſecerunt*, Sal. Sed de hoc, & ſimilibus, ubi de Figuris con... ctionis.

6. In memoriam revocandum, quod ſuperius diximus, ſc. d... vel plura ſingularia Conjunctione, aut Præpoſitione *Cum* copul... ſæpe vim habere pluralem; ut, *Rex & Regina ſunt Londini. Re... cum fratre Quirinus jura dabunt*, Virg.

7. Si Verbum comitatur duos Nominativos diverſi numeri, n... lâ copulâ conjunctos, concordat nunc cum hoc, nunc cum illo; *Om... pontus erat*, Ovid. *Sanguis erant lacrymæ.* Luc. Cave tamen dic... *Veſtes fuit lana*; ſed *fuerunt lana*. Quæ exceptio cum innumeris al... ex omni fere Regula ſolo uſu innoteſcit,

Aliquid loco Nominativi.

8. Interdum Indicativus, aut Subjunctivus modus cum aliq... particulâ; aliquando Infinitivus; iſque vel ſolus, vel cum aliis voc... bus, nonnunquam Adverbium cum Genitivo; aut denique vo... materialiter ſumta, i. e. pro literis aut ſyllabis, Nominativi vice ſu... gitur.

Indic.	*Quod ſtudes, eſt tibi conducibile.*
Subjunc.	*Quod pecces, eſt Deo ingratum.*
Infin: { ſolus.	*Furari eſt peccatum.*
Infin: { cum aliis vocibus.	*Te beneſacere reipublicæ eſt laude di... gnum.*
Adverb. cum Genit.	{ *Satis pecuniæ reſtat.* / *Partim virorum ſunt occiſi.*
Vox materialiter ſumta.	{ HOMINEM *eſt Accuſativi caſus.* / AMAT *eſt tertiæ perſonæ.*

9. Ca...

9. Casus ante Infinitivum est secundum naturam Verbi, cui subjicitur, ut, *Tu diceris esse justus. Licet tibi esse justo. Novi te esse justum.* Interdum nullum ante se habet Casum; ut, *Cupio scire.*

10. Postremo Notandum non licere uti numero plurali, cum unicum alloqueris hominem: si tamen tibi sermo est cum viro nobili, aut honestiore loco nato, vitanda est ingrata ista vocula TU, item in initio congressûs: quod fiet, si secundam personam in tertiam sic convertas; e.g. pro, *Nosti Domine*, dic, *Novit Dominus*; vel, *novit tua prudentia:* & pro, *Parce Domine*, dicas, *parcat*, vel *condonet Dominus*; *placeat Domino, dominationi, celsitudini, majestati* &c., prout est personæ dignitas, quacum agitur. Quoties vero de te ipso loqueris, utrolibet numero utaris; *Nos patriam fugimus*, inquit Melibœus de se ipso. Virg. Ec. 1.

APPENDIX

De personarum dignitate.

1. Prima persona dignior est, quam secunda; secunda, quam tertia: vox igitur dignioris personæ ad se attrahit vocem indignioris; ut, *Ego pauper lugeo. Tu dives cantas. Ego & tu sumus Christiani. Tu & Petrus estis pares.*

2. Huc refer illud Virg. & similia; *Divellimur inde Iphitus & Pelias mecum.* Nam *Mecum* idem est, quod *Ego*, ideoque *Iphitus & Pelias* in prima persona ponuntur. Verum illud ad constructionis Figuras attinet, de quo in suo loco.

REGIMEN GENITIVI.

Unum substantivum regit aliud in Genitivo.

Rex Galliæ. Domus Patris. Liber Præceptoris, &c.

ANNOT.

1. Ad hanc Regulam reducuntur Adjectiva in Neutro genere substantivata; ut, *Quid causæ? Quantum pecuniæ? Acuta belli. Angusta viarum*, &c. idque elegantius, quam, *Quæ causa.*

Discrimen inter AMOR TUI, & TUUS.

Captus sum amore tui, i. e. *amore, quo ego te amo: amore tuo*, i. e. *amore, quo tu me amas*. Hinc videas non dicendum esse, *Filius mei*, sed *meus*: *Liber tui*, sed *tuus*, &c. Hujusmodi tamen phrases non raro occurrunt; *Meum solius peccatum corrigi non potest*. *Nostrûm duorum eventus ostendet, utra gens sit bello fortior*. *Nostros vidisti flentis ocellos*; Ovid.

Quodvis Substantivum regit aliud Substantivum cum Adjectivo Notæ, aut discriminis in Genitivo vel Ablativo.

Petrus est acuti ingenii, vel *acuto ingenio*; *nigri capilli*, vel *nigro capillo*, &c.

ANNOT.

1. Adjectivum discriminis sæpe convenit cum priore Substantivo, seu cum toto; *Petrus est acutus ingenio*, & interdum, *ingenii*. *Felix ille animi*, Buch. Et apud Poëtas, *acutus ingenium*. *Gens addicta mentem erroribus impiis*, Buch. ps. 19. i. e. *Gens habens mentem addictam, vel cujus mens est addicta impiis erroribus*. De quo alibi.

Adjectivum Partitivum regit Genitivum pluralem ejusdem generis.

Quis hominum? Quæ mulierum? Quod animalium? Nullus mortalium omnibus horis sapit. Virgilius optimus poëtarum, &c.

ANNOT.

1. Substantivum Adjectivi vicem interdum supplet; *Nemo vestrum*, i. e. *nullus*.

2. Genitivus singularis interdum pluralis vice fungitur, nec requiritur, ut ejusdem sit generis; *Optimus plebis*.

3. Genitivus pluralis à Partitivo aliquando genere dissentit; *Infimum cœlorum lunam continet*. Verum hinc manifestum est, Genitivu

[plu]rium pluralem non regi ab hoc Adjectivo, sed à Substantivo suppresso; e. g. *Infimum cœlum cœlorum. Virgilius optimus poëta poëtarum.* Sic, *Leo est animalium fortissimum*; necessario hic supprimitur *Animal.* At major est difficultas, si dicas (quod & usitatius est) *Leo animalium fortissimus*; non enim videtur supprimi *Animal.* Quidam volunt hic subintelligi *Ex numero*, secundum illud Plinii, *Capreæ & coturnices animalia ex numero animalium placidissima.* Mallem tamen *Animal* hic subintelligi. Nec ulla est incongruitas (prout [jam] dictum) in hac oratione, *Leo est fortissimus animal omnium animantium.*

4. Has orationes aliter sic efferas; *Optimus poëtarum*, vel *ex poëtis*, aut *inter poëtas*, &c.

[A]djectivum verbale active significans regit Genitivum.

Amans vini. Patiens frigoris. Doctus Grammaticæ, Tempus edax rerum. Cometa est belli significativus, &c.

ANNOT.

1. *Amans vini*; i. e. *amator vini*; *amans vinum*, i. e. *qui amat vinum.* Prius habitum, posterius actum denotat. Idem dicendum [de], *Patiens frigoris*, & *frigus*. *Doctus Grammaticæ*, qui Grammaticam callet; *Doctus Grammaticam*, qui eam didicit, licet nibil in [ea] jam intelligat. Hæc *Participia*, illa *Nomina* appellari solent.

[A]djectiva copiæ, aut inopiæ regunt Genitivum, vel Ablativum.

Abundans	*lactis.* / *lacte.*	*Plenus*	*rimarum.* / *rimis.*
[In]ops	*consilii.* / *consilio.*	*Expers*	*nugarum.* / *nugis.*

ANNOT.

1. Complura sunt Adjectiva Genitivum regentia, quæ ad certam [re]gulam reduci nequeunt; ut, *Compos mentis*, & similia. Quædam

alios etiam regunt Casus; ut, *Affinis*, *Similis*, *Communis*, *Dignus*, &c. De quibus in Regimine aliorum casuum, quibuscum frequentius construuntur.

Est, *Interest*, & *Refert* regunt Genitivum, cum officium alicujus denotant.

Judicis est litem dirimere. Uxoris interest nosse, quid agat maritus. Omnium refert bene agere, &c.

Mea, Tua, Sua, Nostra, Vestra, & *Cuja* ponuntur in Ablativo, cum *Refert*, & *Interest*; ut, *Meâ refert*, &c. In Nominativo vero, idque in Neutro genere cum *Est*; ut, *Meum est reipublicæ benefacere*, &c.

ANNOT.

1. *Cuja interest*, est Adjectivum *Cujus, a, um*: at *Cujus interest*, est Genitivus à Nomine *Quis*. *Cujus est liber*; hic *Cujus* vel Genitivus est à Nomine *Quis*, vel Nominativus Adjectivi *Cujus, a, um*.

2. Hæc tria Verba proprie loquendo nullum regunt Genitivum; quippe qui à voce aliquâ suppressâ regatur; e.g. *Judicis est*, sc. *officium*, vel *munus*. *Quicquid habemus, est Dei*; sc. *donum*. Idem de Ablativo censendum; *Meâ interest*, sc. *causâ*, vel *gratiâ*, secundum illud Plauti, *Istuc meâ nihil refert, tua refert gratia*.

Verba accusandi, damnandi, & absolvendi regunt crimen, aut pœnam in Genitivo, aut Ablativo.

Accuso te furti, vel *furto*. *Absolveris læsæ majestatis*, vel *læsa majestate*. *Criminor te mendacii*, &c.

Alterum, Neutrum, Utrum, Utrumque, & *Ambo* ponuntur solum in Ablativo; e.g. *Utro me accusas? Neutro te condemno*, &c.

Verba æstimandi regunt hujusmodi Genitivos *Magni*, *Parvi*, *Nihili*, *Nauci*, &c.

Magni te æstimo. Parvi te habeo. Nihili te facio; Flocci te pendo. Nauci te duco. Æstimo te magni, & interdum, *magno* in Ablativo.

Verb

Verba obliviſcendi, & recordandi regunt Genitivum, vel Accuſativum.

Memini illius diei, vel *illum diem. Faciam hujus diei, locique, meique ſemper memineris. Oblitus eſt ſui generis*, &c. Huc refer, *Venit mihi in mentem illius diei*, i. e. *recordor illius diei.*

Miſeret, pœnitet, piget, pudet, & *tædet* regunt Accuſativum cum Genitivo.

Miſeret me tui. Pœnitet me peccati. Piget me fratris. Pudet me culpæ. Tædet me vitæ.

Adverbia Loci, Temporis, & Quantitatis regunt Genitivum.

Loci. { *Ubi terrarum? Nuſquam gentium. Huccine malorum ventum eſt? Quo miſeriarum devenimus?*

Temporis. { *Tunc temporis. Interea loci. Pridie illius diei.* Dicimus etiam, *Pridie nonas.* Sed hic ſupprimi aiunt *Ante*, ſc. *Pridie ante nonas.*

Quantitatis. { *Satis verborum. Parum ſapientiæ. Affatim lignorum. Partim hominum.*

ANNOT.

1. His adde, *Is ſuarum rerum ſatagit*, Ter. ſecundum illud Plauti, *Nunc agitas tute ſat tuarum rerum.* Item, *Venimus illius ergo*, i. e. *illius causâ.* Addas etiam, *Inſtar pecudis. Inſtar montis equum ædificant*, Virg. Verum, num *Inſtar* hic ſit Nomen, an Adverbium; &, ſi Nomen, num Adjectivum, an Subſtantivum, in medio relinquimus.

REGIMEN DATIVI.

Quodvis Subſtantivum cum Verbo *Eſt* regit Dativum.

Eſt mihi penna, charta, atramentum, &c. i. e. *habeo pennam*, &c. *Non eſt nobis pecunia*, i. e. *non habemus pecuniam*, &c.

Hæc, & similia Adjectiva, regunt Dativum.

Affinis	*Regi.*	*Conscius*	*mihi.*
Amicus	*patri.*	*Conformis*	*imagini.*
Benignus	*omnibus.*	*Obnoxius*	*saluti.*
Fidus	*amicis.*	*Gravis*	*stomacho.*
Familiaris	*paucis.*	*Ingratus*	*auribus.*
Gratus	*cuique.*	*Idoneus*	*nulli rei.*
Contrarius	*nulli.*	*Aptus*	*armis.*
Molestus	*nemini.*	*Communis*	*omnibus.*
Infestus	*hosti.*	*Similis*	*patri.*

ANNOT.

1. Ad hanc Regulam pertinent præcipue Adjectiva commodum, aut incommodum significantia. Diligenter autem notandum, pleraque ex his Adjectivis diversimode construi; ut, *Similis patris*, vel *patri. Aptus*, aut *idoneus armis*, vel *ad arma. Conscius sceleris*, &c. *Similis patris* in moribus, *patri* in figura vulgo aiunt.

Hæc, & similia Verba, regunt Dativum.

Pare	DEO.	*Libet*	mihi.
Resiste	*Diabolo.*	*Licet*	
Occurre	*hosti.*	*Placet*	
Placeto	*omnibus.*	*Accidit*	
Noceto	*nemini.*	*Conducit*	
Stude	*Philosophiæ.*	*Contingit*	
Consule	*rebus tuis.*	*Vacat*	
Auxiliare	*amicis.*	At	
Ignosce	*inimicis.*	*Attinet*	*ad me.*
Succurre	*miseris.*	*Pertinet*	
Fave	*bonis.*	*Spectat*	

ANNOT.

1. Verba varie construuntur, idque tum in eadem, tum in diversa significatione.

In

In eadem ſignificatione.

Impertio tibi ſalutem, vel *te ſaluto.*
Dono tibi equum, vel *te equo.*
Conſentio tibi, vel *tecum.*
Diſſentio tibi, vel *a te.*
Moderor affectui, vel *affectum.*
Medicor morbo, vel *morbum.*
Interdico tibi domo meâ, vel *domum meam.*
Hoc latet patrem, vel *patri*, &c.

2. Notandum tamen ejuſmodi Verba unum caſum rarius, alterum ſæpius regere, e. g. *Interdico tibi domum meam*, raro; *domo meâ*, ſæpe. *Medicor te*, raro; *tibi*, ſæpe. Num vero *Latet* Dativum, an Accuſativum ſæpius regat, aliorum eſto judicium.

In diverſa ſignificatione.

Æmulor	*tibi,* *te,*	i. e.	*Invideo.* *Imitor.*
Auſculto	*tibi,* *te,*	i. e.	*Obedio.* *Audio.*
Conſulo	*tibi,* *te,* *in te,* *ſaluti,* *boni,*	i. e.	*Do tibi conſilium.* *Peto à te conſilium.* *Decerno contra te.* *Provideo ſaluti.* *Accipio in bonam partem.*
Contingit	*mihi,* *me,*	i. e.	*Accidit mihi.* *Tangit me.*
Cupio	*tibi,* *te,*	i. e.	*Faveo tibi.* *Deſidero te.*
Deficit	*mihi,* *me,* *à me,*	i. e.	*Deeſt mihi.* *Deſtituit me.* *Deſciſcit à me.*
Do literas	*tibi,* *ad te,*	i. e.	*Ut ad alium feras.* *Mitto ad te literas.*

Impono	*tibi,*	i. e.	*Fallo te.*
	arcæ,		*Pono in arcam.*
	mensæ,		*Pono super mensam.*
Metuo	*tibi,*	i. e.	*Ne malum tibi accidat.*
	te, vel *à te,*		*Ne malum mihi facias.*
Refero	*tibi,*	i. e.	*Narro tibi.*
	ad senatum,		*Ut senatus decernat.*
Solvo	*tibi,*	i. e.	*Reddo mutuum.*
	te,		*Ex vinculis te libero.*
vacat	*philosophiæ,*	i. e.	*Operam dat philosophiæ.*
	ad ineptias,		*Habet otium ad ineptias.*
	culpâ,		*Caret culpa.*
	locus,		*Vacuus est locus.*

3. Hæc impræsentiarum sufficiant: longum enim esset, omni Verba varie constructa hic recensere; *Providere rei frumentaria, rem frumentariam, de re frumentaria,* Cæs. *Pugnare pugnam,* Plau *prælium,* Hor. *cum hoste,* Cic. *contra pedites,* Plin. *de re aliqua, pro aliquo,* Cic.

4. Postremo Notandum Verba idem prorsus significantia diverso sæpe regere Casus; ut, *Auxilior tibi; Juvo te. Noceo nemini; Lædo neminem,* &c.

Quædam Verba duos regunt Dativos.

Sis mihi auxilio. Do tibi pignori. Vertitur, vel *datur mihi vitio,* &c. Huc refer illud Terentii, *Neutiquam hæc res neglectui e mihi,* ni fallor, pro *neglectui.*

Quædam Adverbia ab Adjectivis derivata Dativum regunt.

Vivendum est convenienter naturæ. Canit similiter huic, &c.

POSTSCRIPTUM.

Multi absque dubio sunt Dativi, qui ad nullam ex hisce Regulis reduci possunt; e. g. *Solvendo non sum,* &c. His oppressus fugias a magnum *Despauterii* ASYLUM.

Multa regunt Ternum, quibus haud est Regula certa.

2. Ad

2. Ad quod Aſylum, cum ad incitas eſſem redactus, millies me conſuli, dum ſub ferula militarem: nec raro graviter ſum queſtus, *Deſpauterium* in reliquorum Caſuum Regimine pariter non ceciniſſe.

Multa regunt Patrium, quibus haud eſt Regula certa.
Multa regunt Quartum, &c.
Multa regunt Sextum, &c.

REGIMEN ACCUSATIVI.

Verbum Activum regit Accuſativum.

Time Deum. Honora Regem. Ama parentes. Reverere bonos.

ANNOT.

1. Multa ſunt Activa Verba, quæ Accuſativum non regunt; *Noceo* enim æque activum eſt, ac *Lædo*, nec tamen Accuſativum regit, ut jam dictum. Sic *Fungor officio* æque activum eſt, ac *Facio*, aut *Exequor officium*, &c.

2. Verbum Neutrum Activi vicem ſæpe ſupplet, præcipue apud Poëtas; ut, *Quem hic manes*, pro *expectas*, Ter. *Corydon ardebat Alexin*, i. e. *ardenter amabat*, Virg. &c.

3. Verbum Neutrum regit Accuſativum ſui actus, aut ſibi affinem, ut loquuntur; e. g. *Eo iter. Vivo vitam*, &c. Sed hoc rarius fit, niſi addatur Adjectivum; ut, *Longum eo iter. Jucundam vivo vitam*, &c. Difficulter interdum hanc Verbi cum ſuo caſu affinitatem diſcernas; e. g. *Sonat horrendum*, Virg. *Olet hircum*, Ter. *Navigare maria*, Cic. *Vivunt Bacchanalia*, (i. e. more Bacchi) Juv. &c. His addantur Verba, quæ per Synecdochen, vel potius more Græco Accuſativum regunt; ut, *Petrus rubet faciem, truncatur brachium, vulneratur caput*, &c. Addas etiam Accuſativum Quantitatis; ut, *Plus ſolito ſudo. Multum tremo*, &c.

4. Quædam ſunt Verba, quæ neſcio, an interdum Neutra ſint ſtatuenda; e. g. *Terra movet. Heu fuge, nate Deâ*, Virg. Quidam volunt Accuſativum hic ſubintelligi; *Terra movet ſe. Fuge periculum.* Prius nullam, poſterius aliquam veritatis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Verum eſt, hæc Verba activam poſſe habere ſignificationem,

Move te ocius, Ter. *Nos patriam fugimus*, Virg. De posteriori tamen dubitari potest.

Aliquid loco Accusativi.

5. Interdum Indicativus, aut Subjunctivus Modus cum aliis voculis; aliquando Infinitivus, isque vel solus, vel cum aliis vocibus; nonnunquam vox materialis (i. e. vox sumta pro solis literis, seclusâ significatione) Accusativi vicem supplet.

Indicativus;	*Novi, quod tu es vir doctus.*
Subjunctivus;	*Dic mihi, quota sit hora.*
Infin. solus;	*Amo ludere. Odi studere.*
Infin. cum aliis vocibus;	*Novi Deum esse omnipotentem.*
Vox materialis;	*Flecte* PENNA. *Conjuga* LEGO.

Verba Rogandi, Docendi, Induendi, & Celandi regunt duos Accusativos; unum personæ, alterum rei.

Rogo præceptorem veniam. Doceo discipulos Grammaticam. Induo patrem vestem. Celo fratrem arcana.

Aliter sic efferas.

Rogo veniam à præceptore. Induo vestem patri, aut *patrem veste. Celo fratrem de arcanis*, aut *fratri arcana.*

ANNOT.

1. Verba Docendi varie construuntur. *Doce mihi prolem*, Cic. i. e. *recense mihi prolem. Misit, qui de suo adventu nos doceret*, i. e. *moneret*, vel *certiores faceret*. Id. *Multum interest, quibus moribus puerum instituas. Moneo te officii, officium*, vel *de officio*. Cave tamen dicas, *Doceo te Grammaticæ* in Genitivo, aut *Grammatica* in Ablativo; nec bene *de Grammatica*. Sed *Grammaticam* tantum. Hinc videas, quam incertæ sint Regulæ grammaticales.

2. Obiter hic notetur, vulgo errari in constructione Verbi *Disco* cum Accusativo personæ. *Disco te* nequaquam legitur. Regit quidem Accusativum rei; *Disco linguam latinam.*

Horum

orum Passiva regunt Accusativum rei.

Doceor Grammaticam. Præceptor rogatur veniam. Induor vestem. *lleam induitur,* Virg.

Decet, Delectat, Juvat, & *Oportet*, regunt Accusativum cum Infinitivo.

Decet Christianum caste vivere. Delectat me studere. Juvat nos spicere arva. Oportet me scribere.

Aliter sic efferas.

Casta vita Christianum decet. Studium me delectat. Arvorum spectus nos juvat. Atque ita *Delectat* & *Juvat* per omnes personas, *Decet* per tertiam singularem tantum, & tertiam pluralem flectitur; *Puerum puerilia decent.*

Regimen Participiorum, *Gerundiorum, & Supinorum.*

Participia, Gerundia, & Supina regunt casum sui Verbi.

Amo Deum; ergo *amans*, & *amaturus Deum.* Sic *Fungor officio*; ergo *fungens*, & *functus officio.* Item *Rogor veniam*; ergo *rogatus veniam.*

ANNOT.

1. Participiis accenseri possunt quædam Adjectiva Accusativum regentia; ut, *Præscius futura. Populabundus agros. Vitabundus castra.* *Exosus*, & *Perosus* vere Participia sunt; *Ille perosus opes*, Ovid. Interdum Genitivum regunt; *Exosus vitæ.* Aliquando Dativum exigunt, cum sc. passive sumuntur; *Epictetus Diis haud est exosus.*

Gerundium in *dum* comitatur Verbum *Est* cum Dativo, aut ponitur post *Ad*, *Inter*, &c.

Moriendum est omnibus. Serviendum est nobis Deo, &c.
Ad discendum huc veni. Inter legendum istud notavi, &c.

Gerundium in *di* regitur post Substantiva, vel Adjectiva.

Est tempus cœnandi. Concessa est venia ludendi, &c.

Cupidus

Cupidus redeundi. Peritus bellandi, Dicimus etiam, *Cupi[dus] redire.*

Gerundium in *do* interdum post *a*, vel *in*; interdu[m] absolutè ponitur.

Ignaviâ discendo cito deterrentur. In judicando criminosa est ce[le]ritas, &c.

Ludendo fatigatus sum. Scribendo scribere disco, &c.

Gerundivum concordat cum eo, quod Gerundiu[m] regit.

GERUNDIA.	GERUNDIVA.
Colendum est Deum.	*Colendus est Deus.*
Amandum est parentes.	*Amandi sunt parentes.*
Inter legendum historias.	*Inter legendas historias.*

ANNOT.

1. Elegantius per Gerundivum, quam Gerundium loquimu[r] ornatius dicitur, *Scribenda est epistola*, quam, *scribendum est epist[o]lam.* Interdum Gerundium, & Gerundivum coincidunt; ut, *scri[bendum] est Thema.*

CASUS GERUNDIORUM.

Nom.	*Scribendum est.*
Gen.	*Tempus est scribendi.*
Dat.	*Aptus scribendo.*
Acc.	*Inter scribendum.*
Abl.	*Fatigatus scribendo.*

2. Verbalia in *io* apud Veteres tanquam Gerundia usurpantur *Quid tibi hanc rem curatio*, aut *mutatio est?* Plaut. *Quid tibi hanc aditio, tactio?* Id. Hinc patet solutio quarundam phrasium, quibu[s] haud parum vexantur quidam. *Tempus est videndi luna*; *legendi librorum. Ego ejus videndi cupidus rectâ sequor*, Ter. de virgine. Gerundia enim Substantiva sunt æque, ac Verbalia: inde est, quod Genitivum regant.

Supinum

pinum in *um* ponitur post Verbum motus.

Eamus lusum, pransum, cœnatum. Petrus contulit se domum petitum riam.

ANNOT.

1. Interdum motus est latens, & obscurus; ut, *Do filiam nuptum;* Ter. *Coctum, non vapulatum conductus fui.* Plaut.

Hanc orationem sic variabis.

Petrus, ivit domum	*visum*	*matrem.*	vulgo.
	ut videret		vulgo.
	causâ videndi		vulgo.
	ad videndum		rarius.
	ad videndam		ornate.
	visurus		bene.
	videre		poetice.

2. Supinum in *um* nunquam variatur; ut, *Postquam audierat filio non datum iri uxorem*, Ter. *Novit Deus oculos vestros apertum iri.* Futurum Infinitivi in *rum* eodem modo interdum construi reperies; *Hanc sibi rem sperant præsidio futurum*, Cic. *Non puto eam hoc facturum*, Laberius. *Aruspices dixerunt omnia ex sententia processurum*, Valer. Antias. *Illi polliciti sese facturum omnia*, Cato 5. Orig.

Supinum in *u* regitur post Adjectiva.

Turpe dictu. Indignum auditu, &c.

ANNOT.

1. Noli hinc inferre post hujusmodi Adjectiva tantum poni Supinum in *u*; *Cibus ad coquendum facillimus*, Cic. *Horatius dignus legi*, Quint. *Seneca dignus lectione*, Gel.

Orationem hanc sic variato.

Horatius est dignus	*lectu.*	vulgo.
	legi.	bene.
	lectione.	bene.
	ad legendum.	raro.
	quem legas.	ornate.
	qui legatur.	ornate.

Per-

Præpositio in Compositis eundem, quem extra Composita, casum sæpe regit.

Discipuli adeunt scholam, circumstant præceptorem, abeunt templo i. e. *eunt ad scholam, stant circum præceptorem, eunt à templo.*

ANNOT.

1. De Verbis, quibus præfiguntur Præpositiones, nulla certa Regula tradi potest: quædam enim Dativum, quædam Accusativum; quædam Ablativum; quædam Dativum, Accusativum, vel Ablativum; quædam Dativum, vel Ablativum; quædam Accusativum, vel Ablativum exigunt; ut ex tabula apparet.

Dat.	*Interesse concioni. Præesse exercitui.*
Acc.	*Alloqui aliquem. Transire flumen.*
Abl.	*Abesse domo, templo.*
Dat. Acc.	*Antecellere,* & *præcedere tibi,* vel *te.*
Dat. Acc. Abl.	*Occumbere morti, mortem, morte.*
Dat. Abl.	*Inesse foramini,* vel *foramine.*
Acc. Abl.	*Exire,* vel *egredi domum,* aut *domo.*

2. Ut plurimum tamen Composita ex *Ob, Con, Ante, Sub, Inter, Ad, In, Post, Præ,* Dativum exigunt; Obrepit mihi somnus. *Succedo tibi,* &c.

3. Aliquando Præpositio & Verbo, & Casui præponitur; *Adire ad templum. Exire ex ædibus. Adesse ad pugnam,* vel *in pugna.*

ANNOT.

In aliquot ex Præpositionibus.

1. De vulgari Præpositionum usu satis jam dictum in Vestibulo.

A, Ab, E, Ex, Abs.

2. *A* Consonantibus, *Ab* Vocalibus præponitur; A *patre, ab*

ſitu, &c. Idem de E, & Ex cenſendum; *E domo*, *ex ædibus*, &c. Interdum reperies, *Ab Jove*, *lege*, *rege*, *ex domo* &c. *Abs* præponitur Q, & T; *Abs quovis homine*; *abs te*, vel *à te*. *Ex* apud Ter. cum Accuſativo legitur; *Ex adverſum*:

In, *Sub*, *Super*, *Subter*,

3. Poſt Verba motus ad locum Accuſativum, poſt Verba quietis, ut motûs in loco Ablativum exigunt; *Incidit in foveam*. *Eſt in templo*. *Deambulat in horto*, &c. Interdum contrarium videas; *Eſſe in amicitiam*, *ditionemque populi Romani*, Cic. *Venit in Senatu*, Id.

4. *In* pro *Erga*, vel *Contra* Accuſativum ſemper regit; *Accipit in Teucros animum*, *mentemque benignam*, Virg. i. e. *erga Teucros*. *Pugnare in Romanos*, i. e. *contra Romanos*.

5. *In* pro *Inter* Ablativum exigit; *In amicis habere*, Sal. Interdum Accuſativum; *Homines morte deletos reponere in Deos*, Cic. de Nat. Deorum.

6. *Sub*, cum tempus ſignificat, Accuſativum regit; *Sub noctem*; *ſub lucem*; *ſub horam pugnæ*, Suet. Notandum tum tempus immediate præcedens, tum ſubſequens denotare; *Sub horam quartam*, i. e. *paulo ante*, vel *paulo poſt quartam*. Aliquando tamen neceſſario alterum tantum denotat; e.g. *Sub cænam* (i. e. *ante cænam*) *deambula*, *cænatus idem facito*.

7. *Super* pro *Præter*, aut *Ultra* Accuſativum regit; *Super* (i. e. *præter*) *cætera flagitia*, Suet. *Super* (i. e. *ultra*) *ripas fluminis effuſus amnis*, Liv.

8. *Super* pro *De* Ablativum exigit, ut apud Virg.

Multa ſuper Priamo rogitans, *ſuper Hectore multa*.

9. *Super* pro *Superſtes* poni videtur apud Vir. Æn. 3.

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago.

10. Interdum cum alia Præpoſitione junctam leges; *Inſuper his*, Virg. *Inſuper alienos rogos*, Lucret. *Inſuper habere*, Gel. Alias pariter Præpoſitiones unâ conjunctas reperies; *Inante diem quintum Cal. Novemb*. Cic. *Exante diem Non. Jun*. Id. *Poſtante*, Var. *Circumſecus*. Apul.

11. *Subter* utrumque caſum indifferenter regere videtur; *Plato iram*

tram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit, Cic. *Ferre li[...] subter densa testudine casus* Virg.

Clam & Tenus.

12. *Clam* vulgo Ablativum, interdum & Accusativum regi[...] *Clam uxorem,* Ter. Apud eundem leges, *Clanculum patres.*

13. Tenus Genitivum, vel Ablativum; *Crurum tenus.* Cum[...] *rum tenus. Pectoribus tenus,* Ovid. Hinc vides *Tenus* Postpositio[...]nem potius, quam Præpositionem appellandam esse.

Prope, Propius, Proxime.

14. Ut *Prope,* sic *Propius, Proxime,* imo & *Proximus* Accusati[...]vum regere videntur; *Propius urbem. Proxime Hispaniam,* Sa[...] *Rex proxime formam latrocinii,* Liv. *Proximus te.* Plaut. Verum Sanctius, aliique viri doctissimi negant, has voces Accusativum un[...]quam regere; supprimi enim volunt Præpositionem; *Propius ad ur[...]bem: proxime ad formam latrocinii,* &c. *Si enim* (inquit Sanctius) *voces istæ Præpositiones statuantur; Præpositiones quoque erunt* PRI[...]DIE, POSTRIDIE, cum multis aliis; *Pridie nonas,* &c. Per no[...] utrumlibet eligas. *Hei mihi; Væ tibi* (si placet) Præpositione[...] sunto.

15. De *Procul* idem censendum; *Procul muros; procul mari,* i.e. (ut volunt) *ad muros; à mari. Procul à nobis,* Cic.

Am, Di, Dis, Re, Se, Con

16. Appellantur *Præpositiones inseparabiles;* nunquam enim le[...]guntur, nisi Verbis præfixæ; *Ambio, Diduco, Distraho, Redeo, Se[...]pono, Confero.*

REGIMEN OPPIDORUM.

Nomen oppidi primæ, aut secundæ declinationis sin[...]gularis numeri ponitur in Genitivo; Tertiæ vero aut pluralis in Ablativo, cum respondendum e[...] ad Quæstionem *Ubi.*

Ubi est pater?	resp.	*Romæ.* *Londini.*	*Carthagine.* *Athenis.*

Ad *Quo* in Accusativo.

[...]bivit } resp. { *Romam.* *Carthaginem.*
[...]pater? } { *Londinum.* *Athenas.*

Ad *Unde* in Ablativo.

[...]de venit } resp. { *Româ.* *Carthagine.*
[...]pater? } { *Londino.* *Athenis.*

Ad *Qua* in Ablativo.

Qua itur Londinum? resp. *Bervico*, &c.

ANNOT.

1. Interdum additur Præpositio; *In Alexandria*, Cic. *Ab [...]ma*, Liv. Quod fit gratiâ evitandæ ambiguitatis; e. g. *Edin[...]go per Bervicum*; vel, *ex Edinburgo Bervico itur Londinum*: & [...] *Edinburgo Bervico.*

2. Additur etiam Præpositio, quoties locum aliquem urbi vici[...]m intelligimus, e. g. *Anglorum exercitus usque ad Edinburgum [...]venit*, i. e. *ad campos urbi vicinos.*

3. Postremo additur Præpositio, cum Adjectivum oppidi nomen [...]mitatur; *Ad doctas proficiscor Athenas. Fui in magna Roma*; [...]n, *magnæ Romæ*; ni duæ essent Romæ, major sc. & minor; tum [...]eret dicere, *Fui magnæ Romæ* in oppositione ad minorem.

4. Vulgo docetur nomen oppidi tertiæ declinationis poni in Da[...]vo, vel Ablativo, cum respondetur ad Quæstionem *Ubi*; *Degit [Ca]rthagini*, vel *Carthagine.* Verum *Carthagini* est vetus Ablati[...]s: omne enim nomen tertiæ declinationis olim indifferenter [...]bat in *e*, vel *i*; ut ex his videre est, *Redeunt ruri rustici*, Plaut. *[Ve]speri domum revertor*, Ter. Nec raro adhuc in Ablativo reperies *[Te]mpori*, *Sorti*, *Luci*, &c. Quænum Nomina, an Adverbia sint [st]atuenda, hæret Despauterius Regim. Genit. Reg. 18.

5. Nominibus Regionum, aut Insularum additur Præpositio; *[Pa]ter est in Gallia*, *Anglia*; *profectus est in Germaniam*; *rediit ex [I]talia*, &c. Interdum tamen aliter videas; *Siciliæ cum essem*, Cic. *[Æ]gypto remeans*, Plin.

De Domo & Rure

Domus, & *Rus* oppidorum nomina imitantur; *Pater est do*[...] *ruri; profectus est domum, vel rus; discessit domo; rediit rure.*

Discrimen Inter Domi, & In Domo.

1. Potest quis esse *domi*, qui non est *in domo*, & contra; e.[...] sciscitanti peregrino, ubi sit pater, responderi potest eum esse *do*[...] licet *in domo* non sit, sed forte in horto. Et contra, Cæsar occi[...] fuit *in domo*; non tamen *domi*.

2. Hæc etiam Substantiva, *Militiæ*, *Humi*, & interdum *Belli*, [...] *Togæ* sic construi reperies; e. g. *Temerarius agit militiæ.* *Po*[...] *jacent humi.* Aliquando post Verbum motû; *Procumbit humi b*[...] *Gratus principi belli, togæque*, i. e. *tempore belli, & pacis.*

ADVERBIA LOCI.

1. Ad Quæstionem *Ubi* responde per Adverbia in loco; *Hi*[...] *Istic, Illic, Intus, Foris, Nusquam, Alibi, Alicubi, Ibidem, Ubiq*[...] *Ubilibet, Ubivis, Necubi, Sicubi, Inferius, Superius, Infra, Supr*[...] e. g. *Ubi est pater?* resp. *Intus, Foris*, &c.

2. Ad *Quo* per Adverbia ad locum; *Huc, Istuc, Illuc, Alio, Al*[...] *quo, Siquo, Eo, Eodem, Quolibet, Quovis, Utroque, Neutro, In*[...] *Foras, Dextrorsum, Sinistrorsum, Antrorsum, Retrorsum, Sursu*[...] *Deorsum*; e. g. *Quo ivit pater?* resp. *Intro, Foras*, &c.

3. Ad *Unde* per Adverbia è loco; *Hinc, Istinc, Illinc, Alicund*[...] *Aliunde, Necunde, Sicunde, Undelibet, Undevis, Superne, Infern*[...] *Cœlitus, Funditus*; e. g. *Unde veniunt bona?* resp. *Cœlitus*, &c.

4. Ad *Qua* per Adverbia per locum; *Hac, Istac, Illac, Aliqu*[...] *Siqua, Ea, Eadem*; e. g. *Qua itur ad urbem?* resp. *Hac*[...] *illac*, &c.

His Quæstionibus sic responde.

Quamdiu studuisti? } resp. { *Totum diem.* / *Toto die.* / *Per totum diem.*

Question		Answer	Case
Quando rediit pater?	resp.	*Hesternâ nocte.*	
Quantum hinc distat Londinum?	resp.	*Trecenta milliaria.*	Acc.
		Trecentis milliaribus.	Abl.
Quanto es tu ditior me?	resp.	*Pede.*	
Quanto tempore hæc scripsisti?	resp.	*Tribus diebus.*	Abl.
Quantus est baculus?	resp.	*Bipedalis.*	
		Tres pedes longus.	Acc.
		Tribus pedibus longus.	Abl.
Ubi captus fuit latro?	resp.	*Sexto ab urbe lapide.*	
		Ad sextum ab urbe lapidem.	

Regimen quarundam vocum indeclinabilium.

Voces	Casus		Exempla	Auctor
Apage, *Hem*	Acc.	regunt;	*Apage istiusmodi salutem,*	Plaut.
			Hem astutias,	Ter.
En, *Ecce*	Nom. Acc.		*En dextra,*	Virg.
			En quatuor aras.	Id.
			Ecce pater.	
			Ecce miserum hominem.	
Hei, *Væ*	Dat.		*Hei mihi, qualis erat,*	Virg.
			Væ tibi, causidice,	Mart.
Heu	Nom. Acc. Dat.		*Heu pietas,*	Virg.
			Heu stirpem invisam,	Virg.
			Heu misero mihi,	Plaut.
Ah, *Vah*, *Proh*	Acc. Voc.		*Ah me miserum,*	Ter.
			Ah virgo infelix,	Virg.
			Vah inconstantiam,	Ter.
			Vah mea Antiphila,	Id.
			Proh Deûm atque hominum fidem.	
			Proh sancte Jupiter.	
O, *Ohe*, *Heus*	Voc.		*O Melibœe,*	Virg.
			Ohe libelle,	Mart.
			Heus Syre,	Ter.

O regit etiam Accusativum; *O me perditum!* Et fere semper supprimitur; *Me miserum.* *Adesdum Dave*, Ter.

ANNOT.

1. Verisimile est has voculas nullum regere Casum; *Me miserum* non regitur post *O*, sed post *Sentio*, vel *Video*. Præterea sæpius nullum post se habent Casum; *Hei vereor, ne quid Andria apportet mali*, Ter. *Ecce Corynna venit*, Ovid. Interdum cum aliis Casibus reperies; *Hem astutias*, *hem tibi*; *hem Pamphile*, Ter. Possunt quidem dici Casum post se regere, quum pro aliis vocibus sumantur, e. g. *Væ tibi*, i. e. *malum tibi eveniat*, secundum illud sacri codicis; *Væ unum abiit*, *veniunt duo væ posthac*, Apoc. 9. 12.

REGIMEN ABLATIVI.

Verbum Passivum regit Ablativum cum Præpositione *a*, vel *ab*.

Amor à patre. Osculor à matre. Doceor à præceptore.

ANNOT.

1. Vix dicendum puto, Verba passiva Ablativum cum Præpositione post se regere: istud enim de quavis fere voce afferas; ut, *Primus à Rege. Secundus à Principe. Castus à Venere. Alius ab illo. Accepit à me. Stat à tergo*, &c.

2. Gerundia, & Gerundiva semper; Participia sæpe; Verba Passiva raro, pro Ablativo Dativum habent; e. g. *Legendum est mihi*; non, *à me*: *Ille mihi de te multa rogatus abit.* Ovid. *rogatus mihi*, pro *à me*. *Nec cernitur ulli*, Virg. pro *ab ullo*, &c.

Utor, *Abutor*, *Fruor*, *Fungor*, *Potior*, *Vescor*, *Careo*, *Indigeo* regunt Ablativum.

Utere libro meo, quamdiu voles. Abuteris veste. Fruor vitâ jucundâ. Fungor officio. Vescor piscibus. Hostes arce potiti sunt. Careo argento. Indigeo nummis.

ANNOT.

ANNOT.

1. Interdum cum alio casu leguntur; *Operam abutitur*. Ter. *Fungitur officium*, Id. *Urbem potiri*, Cic. *Quasi tu hujus indigeas patris*, Ter.

Quodvis Verbum, Adjectivum, vel Substantivum regit Ablativum, qui resolvitur per *Ob*, *Per*, *Præ*, *Propter*, &c.

Verba; { *Palleo metu*, vel *propter metum*.
Taceo pudore, vel *ob pudorem*.

Adjectiva; { *Superbus honore*, vel *ob honorem*.
Pallidus metu, vel *præ metu*.

Substantiva; { *Rex dono*, vel *per donum Christi*.
Præsul auxilio, vel *per auxilium Dei*.

ANNOT.

1. Hic Ablativus non regitur à Substantivo, sed ab Adjectivo aliquo suppresso; *Rex*, sc. *creatus*, vel *factus dono Christi*.

Dignus, *Indignus*, *Vacuus*, *Orbus*, *Contentus*, *Præditus* cum multis aliis regunt Ablativum.

Dignus laude. *Indignus odio*. *Orbus patre*. *Contentus nihilo*, *Præditus virtute*.

Opus regit Ablativum.

Mihi opus est libro. *Tua authoritate nobis opus est*. Apud Ovid. cum Genitivo leges; *Hic erit usus opus*.

ANNOT.

1. *Opus* est Adjectivum, vel Substantivum: *Opus* Adjectivum est Indeclinabile, idem significans, quod *Necessarius*. *Opus* Substantivum est declinabile, vel indeclinabile: de *Opus* indeclinabili hic agitur.

Opus sic construitur.

Substantivum declinabile; *Opera Ciceronis.*
Substantivum indeclinabile; *Opus est libro.*
Adjectivum; *Opus est liber.*

Comparativus gradus regit Ablativum.

Nihil nive candidius. Nil melle dulcius, &c. Quæ sic resolv[illegible] *Nihil candidius, quam nix*, &c.

ANNOT.

1. *Quam* interdum copulat eosdem Casus, interdum non; E[illegible] *callidiorem hominem vidi neminem, quam Phormionem*, Ter. Potu[illegible] dici, *quam est Phormio. Quam* Interdum supprimitur; *Plus quingen*[illegible] *tos colaphos impegit mihi*, Ter.

Pretium ponitur in Ablativo.

Emi librum quatuor assibus. Hic equus constitit mihi centum li[illegible] *bris*, &c.

Excipe *Tanti, Quanti, Pluris* & *Minoris*; ut, *Quanti emisti equum? Minoris, quam revendam*, &c. At si addas vocem *Pretium*, ponuntur etiam in Ablativo; *Quanto pretio emisti equum? Mino*[illegible] *quam revendam.*

Materia, ex qua aliquid fit, ponitur in Ablativo cum Præpositione, *De*, vel *Ex*.

Homo factus est de limo terræ. Calix fit ex auro, &c.

Instrumentum, & Modus, quo aliquid fit, ponuntur in Ablativo absque Præpositione.

Instrumentum; { *Scindit carnem cultro. Adortus est me stricto gladi*[illegible] *Percussit me pede.* Cave dicas, *Cum pede.* }

Modus; { *Submissâ voce loquitur. Gravi accentu cantat. Mo*[illegible] *suo docet. Torvis oculis aspicit.* }

ANNOT.

1. Ad hanc Regulam reducantur hujusmodi Ablativi; *Afficio te ho*[illegible] *nore, dedecore, injuriâ, contumeliâ. Prosequor te amore, odio. Beo t*[illegible] *divitiis.*

...itiis. *Lacesso te verbis acerbis. Conficior dolore, tristitiâ, fame,* ...liâ, *siti*, &c.

Ablativus absolute positus.

1. Quum duæ orationes ita concurrunt, ut alteram comitetur ...modi particula, *Cum*, *Dum*, *Si*, *Postquam*, &c. ea lepide plerun... convertitur in Ablativum absolute positum, i. e. qui nec regit, ...regitur; e. g. *Cum præceptor abest, ludunt discipuli*, converte, ...*sente præceptore, ludunt discipuli. Dum regnaret Augustus, natus* ...*Christus*; dic, *Regnante Augusto, natus est Christus.*

2. Notandum, vulgo diversas esse personas, seu res, ut ex allatis ...emplis apparet. Interdum tamen unica tantum est persona in utra... oratione; ut, *Me consule id feci*, Cic. *Qui se vidente amicam* ...*tiatur suam abripi*, Ter. *Te vidente vides*, Plaut.

Discrimen inter SUI, IPSE, IS, ILLE, *in relatione ad voces præcedentes.*

Petrus dixit SE *venturum*, est Petrus, qui veniet. *Petrus dixit* ...*lum venturum*, est alius, sc. *Jacobus. Petrus amat* SUUM *patrem*, est ...ter *Petri. Petrus amat* EJUS *patrem*, est pater *Jacobi*. At in hac ...atione, *Petrus ait Jacobum lacerasse* SUUM *librum*, ambigitur, cu...s sit liber, *Petri*, an *Jacobi*. Considerandum hic est, quis sit Nominativus principalis Verbi; ad hunc enim refertur SUI & SUUS; ...d *Petrum* igitur pertinet liber; & si *Jacobi* fuisset, dixisse oportebat EJUS, vel ILLIUS librum. Idonea ad hanc rem illustrandam est illa apud Cæs. oratio: EI *legationi respondet Ariovistus, si quid* IPSI *à Cæsare opus esset*, SESE *ad* EUM *venturum fuisse, si quid* ILLE *velit*, ILLUM *ad* SESE *venire oportere*. Nominativus Verbi principalis est *Ariovistus*; SE ergo & IPSE ad *Ariovistum*; IS & ILLE ad *Cæsarem* reciprocantur. Hæc tamen Regula raro tenet, nisi ubi est ambiguitati locus; ut videre est ex cujusdam oratione; *Sumsit supplicium de famoso fure cum sociis* SUIS. Neminem puto dicturum hos socios referri posse ad Judicem Verbi principalis Nominativum, sed ad Reum.

HIC, & ILLE.

Hic propius, *Ille* remotius respicit; e. g. *Petrus & Jacobus peregre profecti sunt, hic* (sc. *Jacobus*) *in Galliam; ille* (sc. *Petrus*) *in Italiam.*

ISTE, & ILLE.

Iste personam, vel rem plerunque contemnit, *Ille* laudat; e.g. *Iste nebulo*: *Ille puer pulchra forma*, &c.

USUS

Quarundam Vocum indeclinabilium.

1. *Quanquam*, *Quanvis*, *Licet*, *Etsi*, *Tametsi* Indicativo, & Subjunctivo præponuntur; e.g. *Quanquam sumus pauperculi, est domi, quod edamus*, Plaut. *Quod turpe est, quanvis occultetur, tamen honestum nullo modo fieri potest*, Cic. Notandum, ubicunque occurrit una ex his vocibus, ibi esse *Tamen* expressum, aut suppressum; in priore enim exemplo supplendum est *Tamen*.

2. *Quoniam*, *Quando*, *Quandoquidem*, Indicativo præponi solent; *Quando ego non curo tuum, ne tu cura meum*, Ter.

3. *Quippe* Indicativo jungitur; *Non est huic habenda fides, quippe pejeravit*. Si addas *Qui*, Indicativo raro, Subjunctivo sæpe; *Non est huic habenda fides, quippe qui pejeravit*, vel *pejeraverit*, &c.

4. *Quin* Subjunctivum exigit; *Non dubium, quin uxorem nolit filius*, Ter. *Quin* pro *Cur non* Indicativo præponitur; *Quin taces?* i.e. *Cur non taces?*

5. *Antequam* & *Priusquam* Indicativum, vel Subjunctivum postulant; *Priusquam pereo*, Ter. Has voces eleganter sic dividas; *Literas prius scias, oportet; quam syllabas*.

6. *Tanquam*, *Quasi*, *Sicut*, *Sicuti*, *Utcunque*, cum utroque Modo reperias; *Tanquam feceris ipse aliquid*, Ter.

7. *Cum* vel *Quum*, *Ni*, *Nisi*, *Si*, *Sin*, *Siquidem* utrique Modo junguntur; *Cum fueris felix*. *Mirum, ni domi est*, Ter. *Ni nossem causam*, Id. Sæpius tamen Subjunctivo.

8. *Utinam* Subjunctivum semper requirit; *Utinam saperem satis*. *O*, & *O si* eundem Modum exigunt.

9. *Ne* prohibendi Imperativo, vel Subjunctivo præponitur; *Ne time*, vel *timeas*. Si aliud Verbum præcedat, Subjunctivo tantum adhæret; *Cave, ne facias*. In hoc sensu plerunque supprimitur; *Cave, te tristem sentiat pater*, Ter.

10. *Ac*, *Atque*, *Quam*, sequuntur *Aliter*, *Secus*, *Contra*, *Perinde*, *Æque*; ut, *Non secus, ac si meus esset frater*, Ter. *Neque aliter contra, quam sentio, loquor*, Id.

11. Cum

11. Cum minus, Tum majus plerunque significat; Odit cum literas, tum virtutem, i.e. odit literas, & , quod majus est, virtutem: Vel, odit quidem literas, sed præcipuè virtutem. Aut denique, odit & literas & virtutem.

12. Tum Tum idem valent, quod Et Et; Petrus est tum doctus, tum pius, i.e. & doctus, & pius.

13. Et in secundo loco valet Etiam; Non solum hoc, sed & illud.

14. Nedum in oratione affirmativa jungitur rei minoris momenti, in negativa rei majoris; Viginti, nedum duo millia, tecum irem. Non duo, nedum viginti millia tecum irem.

15. Tot & Quot, Tantum & Quantum, Toties & Quoties, Æque & Ac, vel Atque in oratione conjungi solent; e. g. Non tot sunt in cœlo stellæ quot in mari guttæ.

16. Ut variè construitur, & pro multis aliis vocibus sumitur.

Ut pro	Quam	Indic.	Ut male cum metuo miser! Ter.
	Postquam		Ut Regem vidit, Virg.
	Quomodo		Ut vales?
	Quamvis	Subjunc.	Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.
	Utinam		Ut te Dii perdant, Ter.

17. In postremo exemplo (ut alibi dictum) supprimi videtur Oro, vel Precor.

18. Ut ponitur pro Ne, vel Ne non post Verba timendi; Metuo, ut subsiet hospes, i. e. ne non subsiet, Ter.

19. Ut causam finalem denotat; e. g. Pater me ad scholam misit, ut latine loqui discerem. Hinc

Discrimen inter UT & QUOD.

20. UT semper Subjunctivum, QUOD etiam Indicativum postulat; Jubeo, ut scribas. Gaudeo, quod vales, vel valeas.

21. UT sæpius supprimitur, QUOD nunquam; Oportet, ut agas, vel oportet, agas. At non, Gaudeo vales.

22. UT in QUI (sc. post Adeo, Ita, Sic, Tam, Talis &c.) QUOD in QUIA convertas; An adeo ignarus es, ut hæc nescias, vel qui hæc nescias? Gaudeo, quod, vel quia vales.

23. Utrumque per Infinitivum efferas; *Jubeo, scribas* ; vel, *jubeo te scribere. Gaudeo te valere.*

ORDO COMPOSITIONIS.

1. Ordo Compositionis est varia vocum in oratione dispositio. Ea vel est libera, seu arbitraria ; vel certis legibus restricta. De priore nihil hic dicemus : præstat enim eam ex optimis Authoribus discere, quam Grammaticæ præceptis describere. Et de paucis tantum communioribus voculis peculiarem sibi situm in oratione vindicantibus hic agemus.

2. *Autem*, Enim, *Vero*, *Quidem*, *Quoque* secundum locum habere solent ; e. g. *Petrus autem dixit.* *Petrus enim fecit :* & non, *Autem Petrus dixit*, &c.

3. *Nam*, & Sed primum obtinent, *Nam pater jussit* ; non, *Pater nam jussit* ; aut, *Pater sed jussit*, &c.

4. De *Ad*, *Apud*, *Ante*, & similibus nihil est, quod dicamus : usu enim innotescit, hæc suis casibus esse præponenda ; *Ad patrem*, & non, *Patrem ad*. Apud poëtas tamen præposterum sæpe ordinem reperias ; ut, *Maria omnia circum*, pro *circum omnia maria*, Virg.

5. Quædam sunt voculæ aliis à fine semper annexæ ; quales *Que*, *Ve* ; Dixitque, *Legitve :* his adde *Ne*, Interrogativum ; ut, *Tune, Illene.* Item in his, *Ain*, *Viden*, pro *aisne, videsne.*

ORDO RESOLUTIONIS.

1. Plerasque pro arbitrio orationes resolvas ; e.g. ps. 7. *In te salutis spem posui meæ, servator orbis* ; sic ordire, O *servator orbis*, *ego posui spem meæ salutis in te.* Vel sic, *Ego posui spem meæ salutis*, O *servator orbis, in te.* Vel, *In te*, O *servator orbis, posui spem meæ salutis.* Vel denique, *Spem meæ salutis*, O *servator orbis, posui in te.* Tot modis resolvere licet, quot lingua, in quam convertis, admittere potest. Nec vernacula nostra linguæ latinæ hac in re multum cedit.

2. Vulgo tamen initium fit ab hisce vocibus (modo in oratione sint) O, Ah, *Si, Cum, Dum, Postquam*, &c. Dein ad Vocativum transitur :

[...]ftur: inde ad Nominativum ante Verbum: hinc ad Verbum [pr]incipale; postremo ad Casus à Verbo rectos. Quæ omnia in [...] præcedentis orationis expositione videre est.

3. In Quæstionibus Casus rectus Verbo præcedit, & Nominativus sequitur; *Cui loqueris? Quem quæris?* sc. *tu.*

4. In Imperativo tum Nominativus, tum Casus rectus Verbum [se]quuntur; ut, *Scribe tu epistolam.* Verum hic Nominativus exprimendus non est, ne in vernacula quidem lingua; ut, si puero dicas, *[A]bi domum*; nisi propter personæ discriminationem, *Abi tu domum; & ille apud nos moretur.* Sæpius accidit, ut vox aliqua necessario in latina lingua exprimatur, cujus in nostra nulla fiat mentio, [e.] g. *Accipe librum, quem mutuo mihi dedisti*; Receive the book, you lent me. Item, *Ecce ipse vir, quem ante vidimus*, Behold the very man, we saw before. Hæc est nostra vulgaris loquendi forma, viris etiam doctis probata: nec de Relativo ulla hic facta est mentio; quod tamen latine omitti non potest. Deinde verba ad [v]erbum reddi perpetuo non debent: sæpius enim venustam apud Latinos reperies Metaphoram, quæ linguæ nostræ nullo pacto quadret; & contra. Peculiares utriusque linguæ *Phrases*, & Adagia discipulis diligenter sunt exponenda. Hujus rei defectus solummodo in causa est, quod pleræque scholæ tot barbaris, & absurdis scateant loquendi formulis; quales, *Clama supra illum. Faciam te tam bonum. Facit mendacia supra me. Non curo pro te. Candela exivit. Bibe extra*; &c.

FIGURÆ CONSTRUCTIONIS.

1. Omnes Constructionis Figuræ ad quatuor reduci possunt. *Reliquæ* (inquit doctissimus *Sanctius*) *monstrosi tantum sunt Grammaticorum partus.* lib. 4.

2. Vel enim vox aliqua deficit; inde *Ellipsis*, aut *Eclipsis.* Vel redundat, hinc *Pleonasmus.* Vel non ipsæ voces, sed sensus consideratur; hinc, ut quidam volunt, *Synthesis*; ut alii, (& melius) *Synesis, Syllepsis*, aut *Conceptio.* Vel denique invertitur vocum ordo, & dispositio; hinc *Hyperbaton.*

ELLIPSIS

ELLIPSIS

3. Duo sunt Ellipseos genera: vel supprimitur vox, quæ in [illegible] superius, vel quæ ibidem exprimitur.

4. Nulla est orationis pars, quin supprimi interdum videas.

5. NOMEN; ubi ad Dianæ veneris; sup. templum, T[...] Sic vulgo reperies, Bubula, Ferina, Suilla, sup. caro.

6. Sunt, qui hasce phrases adjiciunt, *Discrucior animi*, sup. [...] *Pendeo animi*, sup. *dubitatione*. *Miserere mei*, sup. *conditi*[...] *Fastidio cibi*, sup. *gustum*, vel *visum*, &c. Nos de his in Regi[...] Genitivi nihil diximus.

7. De PRONOMINE non est quod dicamus; nunquam [...] non supprimuntur hæ voculæ, *Ego* & *Tu*; ut, *Fac, ut sciam*.

8. PARTICIPIUM; *Divitiacus obsecrare cœpit, ne quid*[...] *in fratrem statueret; scire se illa esse vera*, Cæs. sup. *Dicens*, *Fatens*.

9. VERBUM; *Dii meliora*, sup. *dent*, vel *faciant*, Ter. *Pompeianum cogito*, sup. *ire*. Cic. *Romani festinare*, sup. [...] Sal. *Omnes mihi invidere, & mordere, ego autem flocci pendere*, [...] & cœpi, Ter. Totus fere Grammaticorum chorus in[...] [illegible] hic poni pro Imperfecto Indicativi; *Festinare*, pro *fe*[...] [illegible]. Nos utrumlibet eligas: Hoc tantum dicimus, [...] constare voces sæpius supprimi, Infinitivum vero pro Indicat[...] poni non item. Quid vero in illa apud Ter. oratione supprima[...] dictu facile non est; *Adeone hominem esse invenustum, aut infelic*[...] *quenquam, ut ego sum?* Subintelligitur forte, *Credas*, *putes*, vel, [...] *fieri potest*, aut aliquid ejusmodi.

10. ADVERBIUM; *Oratio fuit precibus, quam jurgio simil*[...] sup. *magis*, Liv.

11. CONJUNCTIO; *Dum ætas, metus, magister prohibe*[...] Ter. sup. bis *et*.

12. PRÆPOSITIO; *Ære cavo clypeus fit*, sup. *ex*, Vir[...] Huc refer illa Terentii; *Id operam do*, i. e. *ad id*. *Nunc id prod*[...] i. e. *ob* vel *propter id*. *Idne mihi auctores estis*, pro *ad id*? Doctissimus *Humius* nostras existimat, *Operam dare* poni pro *laborare*, & *Auctor esse* pro *suadere*: ideoque, inquit, est, quod Accusativum

regun[...]

unde hanc habet Regulam, *Quicquid in Verbi ... venit, adsumit, in cujus vicem venit.*

3. Ellipsi, ubi supprimitur vox, quæ in eadem oratione repe... *Ille timore, ego risu corrui*; sup. *corrui*, Cic. *Hic illius ... hic currus fuit*, sup. *fuerant*. Virg. *Socii ... Rege Recep... recepti*, Id. *Iratus Rex est reginaque*, sup. *Est irata*. *Aquila ... hac ab oriente illa ab occidente*, sup. *bis volavit*, Cic. *Am... defessi sumus, ego vapulando, ille verberando*, sup. *defessus sum, ... est* Ter. &c.

4. Duo diligenter hic notanda. Prius, quasdam voces raro, ... sæpe, quasdam fere semper supprimi, ut inter legendum ... Posterius, hasce voces in vernacula nostra lingua expri... non esse; nisi quum usus requirit: non minus enim nostræ, ... latinæ linguæ figuræ desunt; e. g. in hac postrema oratione ... *defessi sumus, ego vapulando, ille verberando*, supprimuntur, ... *Defessus sum*, & *Defessus est*, quæ ne vernacule quidem ... debent, nisi explicandi gratiâ. Sic, *Aperite aliquis ostium*, ... innumeris aliis.

PLEONASMUS.

... Pleonasmus est, cum vox aliqua redundat; ut, *Se ab omnibus ... potius, quam abs se defensos esse malunt*, Cic. hic redundat vox ... Item, *Oportebat me præscisse ante*, Ter. hic redundat *præ*, *ante*. Advertendum tamen hujusmodi voces Emphasin quan... significare.

SYNESIS.

16. Synesis est, cum construuntur voces quoad sensum; *Turba ...*, Virg. *Pars mersi tenuere ratem*, Id. *Pars in carcerem acti, ... bestiis objecti*, Sal. *Samnitium duo millia cæsi*, Liv. *Duo millia ...tibus affixi*, Curt. His addas illud Ter. *Absente nobis*; & Plaut. *... nobis*: per *Nobis* enim unus tantum intelligitur, ideoque *...sente* dicitur, non *absentibus*. Quidam volunt *Absente* & *Præ...* hic esse Præpositiones; legitur enim *Præsente testibus*, i. e. *...am testibus*.

HYPERBATON.

17. Hyperbaton est inversus vocum ordo; ut, *Maria omnia ...cum*, Virg. pro *circum omnia maria*. Addas, ubi vox aliqua

aliquem dividitur ; *Quò me cunque rapis tempestas*, Hor. pro quocunque.

HELLENISMUS.

18. Hisce quatuor Figuris adjungi potest & quinta, sc. *Hellenismus*, seu *Græcismus*, qua Latini, in quibusdam loquendi formulis Græcos imitantur ; ut, apud Ovid. *Sed enim quia rettulit Ajax, esse Jovis pronepos*, pro *pronepotem*. *Os humerosque Deo similis*, Virg. i. e. quoad vel *secundum os, & humeros*. *Cætera Graius*, Id. i. e. quoad *cætera*, vel *in cæteris*.

APPENDIX.

19. Ex dictis patet, quam lubrico fundamento innitatur nobilis illa figura ANTIPTOSIS, qua Casus pro Casu, Modus pro Modo substituitur. *Antiptosi Grammaticorum* (inquit *Sanctius*) *nihil imperitius ; quod figmentum si esset verum, frustra quæreretur, quem casum Verba regerent. Alienis rebus curas*, Plaut. *Voluptati mæror sequitur*, Id. Non ponitur hic Dativus pro Accusativo ; sed hæc Verba Dativum interdum regunt. Sic apud Ter. *Abuti operam. Fungi officium*, non ponitur Accusativus pro Ablativo, sed *Abutor*, & *Fungor* cum Accusativo aliquando leguntur. Sic, *Id genus alia*, hic non ponitur, *Id genus* pro *Ejus generis* ; sed more græco, *Alia id genus*, i. e. alia Κατὰ *id genus* : Græci enim hanc vocem sæpius supprimunt.

ORTHO-

ORTHOGRAPHIA,

SEU

Legitima scribendi forma.

SI quis omnibus, quæ in hoc negotio occurrunt, difficultatibus plene, & accurate satisfacere velit, verissimum esse reperiet, quod dixit Terent. Maurus:

Fronte exile negotium,
Et dignum pueris putes,
Aggressis labor arduus.

2. Quare sicco pede plurima transibimus, ut, quam possimus brevissimè, provinciam hanc absolvamus.

3. Primo de Literarum numero multum à Grammaticis contenditur. Alii 16, alii 17, 18, 19, 22, 23, 24, 25 statuunt; quæ sic intelligas. Primo multi negant *x*, & *z*, esse literas, sed abbreviationes, seu literarum compendia, asserentes *x* valere *c* & *s*, vel *g* & *s*, ut Dux. quasi *ducs*; *Lex legs*: & *z* valere *d* & *s*, vel geminum *ss*; ut Zona, quasi *dsona*. *Patrizo patrisso*.

4. Plerique *k* ex literarum albo secludunt. Multi de *h* & *y* idem censent. Sunt, qui putant *q* esse abbreviationem *c* & *u*: reperies enim apud Vetustos *Qi*, *qæ*, *qod*. Et Quintilianus cum nonnullis aliis existimat *g* ad literarum numerum non pertinuisse ante bellum Carthaginiense. Pro *g* utebantur Antiqui *c*, ut adhuc in Capitolio Romano videre est, *Macistratus*, *Leciones*, *Pucnando*, *copias*, *Cartacinienses*, *Quincenta*, *septincenta*, &c. Nec absurdum certe videtur scribere *Quincenta*, & non *Quingenta*; quum componatur ex *Quinque*, & *centum*, non *gentum*.

5. Ex *i* & *u* nonnulli duas; alii quatuor faciunt literas, sc. duas Vocales; vulgo sub hac forma *i u*; duas Consonantes, sub hac *j*, *v*.

6. De literarum divisione non minus, quam de numero contenditur. In hoc consentire omnes videntur, eas primo dividendas in Vocales & Consonantes. Ex vocalibus conficiuntur Diphthongi, i. e.

i. e. literæ bisonæ: de quarum numero inter doctos nequaquam convenit. Vulgo quinque, nos octo statuimus. Quid vero Diphthongus nondum determinatum est. Vulgo definitur, Contractio duarum vocalium in unam syllabam. Atqui sic *sua* in *suadeo* sue in *suetus*; *qua* in *Aqua* Diphthongi statui possunt.

7. De Consonantium divisione tanquam pro aris & focis digladiantur.

8. Quidam eas dividunt in Mutas, *b, c, d, f, g, k, p, q, t*; & Semivocales, *l, m, n, r, s, x, z*. Nec hi inter se consentiunt, alii Mutam, alii Semivocalem statuentes; de quo mox. Semivocales subdividunt in Liquidas, *l, m, n, r*; & Duplices, *x, z*. De *s* vix habent, quid dicant. Nonnulli *Monadikon* appellant.

9. Ratio, quod *l, m, n, r, s, x, z* Semivocales statuantur, est, quia tacite includunt Vocalem; *l*, quasi *el*; *m*, *em*, &c. Pari cum ratione *b, c, d* Semivocales statuendæ sunt, quippe quæ Vocalem etiam tacite includant; *b*, quasi *be*; *c*, *ce*; *d*, *de*; &c. Sola disparitas est, quod hæ à tergo; illæ à fronte Vocalem gerant: Si num istud sufficiat, ut illæ Semivocales nuncupentur; hæ non, judicet æquus lector.

10. Superius diximus, dubitari, num *f* Mutis, an Semivocalibus sit accensenda. Qui Semivocalem statuunt, rationem afferunt ab hoc quod à fronte Vocalem gerat, *f* quasi *ef*. Qui Mutam volunt, argumentum afferunt ab hoc, quod respondeat Græcorum φ, quæ à tergo habet vocalem, φ quasi *phi*. Quodsi argumentum hoc valet, *l* Muta etiam est statuenda; respondet enim Græcorum λ, quæ à tergo suam habet vocalem, λ quasi *landa*. Sed quid his immoror nugis?

11. Alii Consonantes dividunt in Mutas, *b, c, d, f, g, p, q, t*; Liquidas, *l, m, n, r*; & Sufflantes, *s, x, z*. Nec isti inter se sunt unanimes: quidam enim *s* Liquidam statuunt, quippe quæ in Versu aliquando liquescat, ut suo loco dicetur.

12. De *i* & *u* variæ sunt Grammaticorum sententiæ. Vulgo nunc Vocalibus nunc Consonantibus annumerantur. *Sciopius* cum paucis aliis censet eas Consonantes nunquam esse.

13. Nec inter eos, qui modo Vocales, modo Consonantes appellant, convenit: alii enim *i* Vocalem statuunt, ubi alii Consonantem;

...; e.g. Quidam *Troia* cum *i* vocali; alii *Troja* cum consonante ...ferunt. Et Belgæ pronunciant *jam*, *jacet* & similia, ut nos pro...ciaremus *yam*, aut *yacet*; si tales nobis essent voces.

Literarum potestas, seu valor inter pronunciandum.

14. Longum esset de singulis hic differere; reliquis igitur omis... de *c*, *g*, *j*, & *h* pauca dicemus. Verum interim parcas scriben... formulæ.

15. *C* respondet Græcorum κ: hinc *Dico*, *dikis*, non *disis*; *Ami*... *amiki*, non *amisi* proferendum. Præterquam enim, quod ipsa ...io dictitet, eandem literam eundem semper habere sonum; vel ...c apparet: Plutarchus Græcus, qui aliquantisper Romæ mora... fuit, vocem *Cicero* tanquam *Kikero* semper pronunciat; quod sine ...bio non faceret, nisi Romæ sic pronunciari audiisset.

16. Sic *gis* in *Legis* æque durè proferri debet, ac *go* in *Lego*, ...emadmodum pronunciant Germani. Istud patet ex Augustini ...rbis. *Cum* (inquit) *dico* LEGE, *in his duabus syllabis aliud Græ*... *aliud Romanus intelligit*. Hinc certo concludas, tempore Au...stini latinam vocem *Lege* eodem modo fuisse pronunciatam, quo ...t græca λέγε, alioquin Græcus nihil intelligeret. At hoc (in...ies) durum sonat, & aures offendit. Sic & nostrum *Legere* apud ...ermanos; & utrobique offendit mollis Gallorum pronunciatio, ...*gere*, quasi *Lescere*, linguâ leviter palatum tangente. Miserum ...ne est tantum operis impendi, ut infantes à legitima pronuncian...i forma voces detorqueant. Nullus enim puer est, qui in initio ...n dicat *Toga* *toγæ*, non *togæ*, *amicus* *amiki*, non *amici*. Quos...m audivi viros, græcæ & latinæ linguæ prorsus ignaros, queri, ...od nulla nobis esset litera nomine γα. Si enim puerum jubeas in ...llabam conjungere *g*, *o*, *d*; respondebit *jod*, non *God*.

17. J duplex consonans à quibusdam habetur. Verum, cur j in ...*jus* duplex sit potius statuenda, quam *j* in *jura* conjecturam facere ...queo: sed de hoc alibi satis superque dictum.

18. De *h* magna fuit olim contentio non solum inter Grammati...s, sed omnis fortis homines. Quidam eam ab hac lingua omni...o exulare volebant, proferentes *Ominem*, non *hominem*; *ædos*, ...n *hædos*; *ircos*, non *hircos*; *Cartaginem*, non *Carthaginem*;

 triumpos,

triumpos, non *triumphos*, &c. Et contra, alii in omni fere voce utebantur; *Praechones*, non *praecones*; *chorona*, non *corona*; *chommoda*, non *commoda*; *hinsidias*, non *insidias*; unde Catul.

Chommoda dicebat, si quando *commoda* vellet
Dicere, & *hinsidias* Arrius *insidias*:
Et tum mirificè sperabat se esse locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat *hinsidias*.

Et paulo post

Ionios fluctus postquam illuc Arrius isset,
Jam non *Ionios* esse, sed *Hionios*.

19. Atque hinc est *Augustini* ad Deum querela; *Si quis* (inquit) *contra disciplinam grammaticam sine aspiratione primæ syllabæ* OMINEM *dixerit*, *magis displicebit hominibus*, *quam si contra tua præcepta hominem oderit*. Conf. Cap. 18. Sine omni dubio vera est litera, nec à multis vocibus deesse potest; ut in *Abeo*, & *Habeo*; *Ara*, & *Hara*; &c. Complures quidem sunt, quæ eam vel habere, vel carere possunt; *Charitas*, vel *caritas*; *Lachryma*, vel *lacryma*; *Sepulchrum*, vel *sepulcrum*; &c. Et licet *h* voci inscribatur, non tamen necesse est, ut semper pronuncies; e. g. *Charactér* vulgo proferunt, ut *Caracter*.

20. Hæc in medium non adduximus, quasi pro certo nobis constaret, quo pacto Romani voces suas protulerint. Ingenue fatemur istud magna ex parte nos latere. Imo asserere non veremur nullum mortalium jam scire modum, quo *Romani*, *Græci*, vel *Hebræi* voces pronunciarint. Nihil mutationi magis est obnoxium, quam vocum pronunciatio, & loquendi forma. Quot secula, tot fere sunt linguarum dialecti, & diversa idiomata. Quis est, qui pro certo affirmet Majores nostros ducentis abhinc annis hoc, non illo modo voces protulisse; multo minus qui demonstret, quo pacto Romani pronunciarint abhinc plus minus duo annorum millia.

Literæ pro vocibus positæ.

21. Interdum unam, interdum plures literas pro integris vocibus reperies; ut, *A*. pro *Aulus*, *C*. pro *Caius*, *D*. pro *Decimus*, *L*. pro *Lucius*, *M*. pro *Marcus*, *P*. pro *Publius*, *Q*. pro *Quinctius*, *Quæstor* aut *Quirites*, *T*. pro *Titus*, *Ap*. pro *Appius*, *Cn*. pro *Cnæus*; *Sp*. pro *Spurius*.

spurius, *Sex.* pro *Sextus*. Item, *P. C.* i. e. *Patres Conscripti*, *P. R.* populus Romanus, *R. P.* *Respublica*, S.P.Q.R. *Senatus populusq; Romanus* , S. P. D. *Salutem plurimam dicit* , H. S. *Sestertius*, A. D. *Anno Domini* , A. M. *Anno mundi*, F. D. O. M. *favente Deo optimo, maximo*, D. D. *Domino Domino*, D. D. C. Q. *Dicat, dedicat, consecratque*, &c.

22. Literas aliquando inversas reperies ; Ɔ. i. e. *Caia* ; W. i. e. *Marca*, &c.

23. Literæ pro notis , seu numeris poni solent ; V. pro *quinque*, X. pro *decem*, L. pro *quinquaginta*, C. pro *centum*, D. pro *quingenta*, M. pro *mille*.

24. Aliter etiam numeros describunt, ut in tabula videre est.

1	I	Unus.
5	V	Quinque.
10	X	Decem.
50	L	Quinquaginta.
100	C	Centum.
500	IƆ	Quingenta.
1000	CIƆ	Mille.
5000	IƆƆ	Quinque millia.
10000	CCIƆƆ	Decem millia.
50000	IƆƆƆ	Quinquaginta millia.
100000	CCCIƆƆƆ	Centena millia.
500000	IƆƆƆƆ	Quingenta millia.
1000000	CCCCIƆƆƆƆ	Decies centena millia.

25. Si minor numerus majori præponatur, indicio est tantundem à majore esse demendum ; e. g. V. valet *quinque* ; at IV. valent tantum *quatuor*, IX. *novem*, IC. *nonaginta novem*.

Distinctio Syllabarum.

1. REGULA.

26. Consonans inter duas vocales pertinet ad posteriorem ; ut *A-mo* ; non *am-o*, &c.

2. REGULA.

27. Si Consonans geminetur, prior ad priorem, posterior ad posteriorem syllabam attinet; ut, *An-nus*, &c.

3. REGULA.

28. Consonantes, quæ in initio vocis consistere non possunt, nec in medio sociari debent; ut, *Ar-duus*, non, *a-rduus*; quia nulla vox incipit ab *rd*.

4. REGULA.

29. Consonantes, quæ in initio vocis copulari solent, in medio conjungi debent; ut, *Do-ctus*, non, *doc-tus*; quia dicimus *Ctesipho*. Ramus asserit barbarismum committere, qui contra hanc Regulam peccet. Sequens igitur tabula diligenter notetur.

bd.	He-bdomas,	*quia dicitur*	Bdellium.
cn.	Te-chna,		Cnæus.
ct.	Do-ctus,		Ctesipho.
gn.	A-gnus,		Gnatus.
mn.	O-mnis,		Mnemosyne.
phth.	Na-phtha,		Phthisis.
ps.	Scri-psi,		Psittacus.
pt.	A-ptus,		Ptolemæus.
sb.	Le-sbia,		σβέσις.
sc.	Pi-scis,		Scamnum.
sm.	Co-smus,		Smaragdus.
sp.	A-sper,		Spero.
sq.	Te-squa,		Squalor.
st.	Pa-stor,		Sterto.
tl.	A-tlas,		Tleptolemus.
tm.	La-tmus,		Tmolus.
tn.	Æ-tna,		θνήσκω.

30. Sicut scribimus *Do-ctus*, sic *do-ctrina*, etsi nulla vox initium sumat ab his literis *ctr*. Item *Te-gmen*, quanvis *gm* in initio dictionis non reperiatur, quia *te* est prior syllaba in *Tego*, &c.

31. Ab his Regulis excipe Composita; ut, *Ab-es*; *Alter-uter*; *Et-enim*; *Juris-consultus*, &c.

Quibus

Quibus modis cognoscatur legitima scribendi forma.

32. Ratione; ut, si vocum originem, vel analogiam consideres: sic scribimus *Gratia*, non *Gracia*, quia venit de *Gratus*. Et contra *Audacia* non *Audatia*, quia formatur ab *Audax audacis*. Item *Vindico*, non *Vendico* (ut vulgo scribitur) quia descendit à *Vindex*. Sic *Deliciæ*, non *Delitiæ*; quia ei affine est *Delicatus*.

33. Authoritate; ut, *Caussa* pro *Causa*; quia apud Cic. Virg. & Quint. reperitur.

34. Usu, ut, *Ethica*, quod Vossius & Alii scribendum volunt *Æthica*. Sic *Vendico*, pro *vindico*; (licet quidam distinguant hæc duo Verba) quia sic vult usus. Hinc innumeræ sunt voces, quas varie describere licet, e. g. *Adfero* vel *Affero*, *Adspicio* vel *Aspicio*, *Accerso* vel *Arcesso*, *Auctor*, *Author*, vel *Autor*; *Fecundus*, *Felix*, *Femina*, *Fenus*, *Fetus* cum infinitis aliis cum è vocali, vel diphthongo scribuntur. *Locutus* vel *Loquutus*, *Secutus* vel *Sequutus*, *Numus* vel *Nummus*, *Nuncius* vel *Nuntius*, *Ocior* vel *Ocyor*, *Solemne* vel *Solenne*, *Sumsi Sumtum*, vel *Sumpsi Sumptum*, &c. Quæ vero sit magis probata scribendi forma, monstrare admodum difficile est. Satius nobis videtur modum sequi vulgarem, tum in vocibus pronunciandis, tum in scribendis. Apud Germanos *leyere*; apud Scotos *legere*; apud Gallos *lescere* proferrem. Et, si nostro permitteretur arbitrio quolibet uti scribendi modo, simplicior magis arrideret; *Femina*, non *Fœmina*; *Sumsi*, *Sumtum*; non *Sumpsi*, *Sumptum*, &c.

Quando à majoribus literis incipiendum.

35. Prima vox cujusque orationis, seu periodi à majore litera exordium sumat; ut, *Time Deum. Honora Regem.* Item propria nomina virorum, regionum, urbium; ut, *Carolus Scotia, Edinburgum*: sic nomina inde deducta; *Carolinus, Scoticus, Edinburgensis*. His adde nomina artium; ut, *Grammatica*. Item dignitates, & omnem vocem emphaticam, seu notabile quid significantem; ut, *Deus*, *Christus*, *Imperator*, *Rex*, &c. &, si placet, *Pater*, *Mater*, *Carmen*, *Versus* & similia. Postremo, initia Versuum; ut, *Parve, nec invideo*, &c.

Interpunctiones.

36. Punctum, ſeu pauſa eſt nota diſtinctionis, vel intervallum reſpirandi; cujus nomina, & characteres ſic deſcribunt.

Nomina,	Characteres,
Comma,	,
Semicolon,	;
Colon;	:
Punctum;	.
Punctum interrogationis;	?
Punctum admirationis;	!

37. Comma eſt brevis orationis pauſa, ſeu mora; qualis cernitur inter ſingulas voces hujuſce Verſus.

Paſtor, arator, eques, pavi, colui, ſuperavi,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

38. Semicolon Commate paulo longiorem habet moram, ut in hac oratione; *Tu, quid divitiæ poſſint, conſideras; quid virtus, non item.*

39. Colon Semicolo moram nonnihil longiorem habet; *Utendum eſt ætate: cito pede labitur ætas.*

40. Punctum periodum claudit, ſeu perfectum facit ſenſum, ut in exemplis allatis videre eſt.

41. Punctum interrogationis, ut, *Quomodo vales?*

42. Punctum admirationis; ut, *O me perditum!*

43. Advertendum nequaquam in hoc negotio inter doctos convenire. Alii enim Comma, ubi alii nihil; alii Semicolon, ubi alii Comma; alii Colon, ubi alii Semicolon ſcribendum autumant; e. g. *Vir magnus, pius & doctus.* Sunt, qui poſt vocem *Pius* Comma ſcribendum aiunt. Atque iſtud *Anglo* cuidam anſam præbuit aliam fabricandi notam Commate minorem.

44. Aliæ etiam ſunt diſtinctionis notæ; qualis *Parentheſis*, duæ *ſc.* curvæ lineolæ, ut in hoc Verſu.

Munera (crede mihi) placant homineſque Deoſque.

45. Verum plerique, neglectâ Parentheſi, orationem duobus Commatis includunt; *e. g. Munera, crede mihi, placant homineſq; Deoſque.* Notandum voces aliter diſpoſitas Parentheſin non admittere; ut, ſi *Crede mihi* vel in principio, vel in fine orationis locares;

ares; absurdum enim esset, (*Crede mihi*) *munera placant hominesq; deosque.*

46. Duo puncta in apice vocis diphthongum in duas vocales disjungunt, e. g. *Ulyssei* tres habet syllabas; at *Ulyssëi* quatuor. Huc refer, quum Consonans in Vocalem mutatur; ut, *Solüit* pro *Solvit.*

47. Ablativus primæ declinationis præcipue ambiguitatis gratia sic notatur; *Pennâ*: sic Genitivus quartæ, *Fructûs*: item Genitivus pluralis cujusvis declinationis, ubi fit contractio; ut *Deûm* pro *Deorum*; *Hæresiôn*, quasi *Hæresioon.*

48. Adverbia qualitatis sic notari solent, *justè, Maximè*; ut differant à Vocativo. Hanc notam, sed sinistram versus, in aliis etiam vocibus reperies; ut *Egón* pro *Egone*, *Nostín* pro *Nostine*. V[illegible]rum hoc rarius fit in lingua latina; in græca & gallica [illegible]ere semper.

49. Vox composita lineolâ interdum sic notatur; *Res-pub[illegible]ica.*

50. Postremo, siqua dictio in duabus lineis sit scribend[illegible], duci solet lineola una aut altera, ut in hac voce *Hujus-modi*, ne duæ voces videantur.

BREVIS DE ACCENTU TRACTATUS.

1. Accentus est nota ad dirigendum v[illegible]cis tonum excogitata, estq; *Acutus*, *Gravis*, vel *Circumflexus*.

2. Acutus notatur lineolâ versus sinistram ductâ sic, (´) Gravis versus dextram, (`) Circumflexus ex utraque conflatur (^)

Officium Accentûs.

3. Acutus vocem tollit, & elevat; ut, *do* in *Dóminus*: Gravis deprimit; ut, *te* in *Doctè*: Circumflexus prius attollit, dein deprimit; ut, *ma* in *Amâre*: ideoque Circumflexus dicitur, quia vocem circumflectit primò elevando, postea deprimendo. Difficilius autem ab Acuto distinguitur; quia magis ad eum inclinat, quam ad Gravem: discrimen vero in hoc est, quod paulo longior mora sit in Circumflexo, quam in Acuto: ut *Amâre* quasi *amaare.*

1. REGULA.

4. Monosyllaba naturâ longa circumflectuntur; ut, *Flôs, â, ê*, &c.

2. REGULA.

5. Monosyllaba naturâ brevia, aut longa propter duas consonantes sequentes, acuuntur; ut, *Vír, Fáx, Méns*, &c.

3. REGULA.

6. In Polysyllabis, si ultima sit brevis, & penultima naturâ longa, circumflectitur penultima; ut, *Flôris, Rôma, Românus*, &c.

7. Aliter Disyllaba acuuntur; ut, *Hómo. Pêjus*, &c. Et Trisyllaba itidem, si penultima sit longa; ut, *Paréntes, Románo*, &c. Si autem penultima sit brevis, antepenultima acuitur; ut, *Dóminus, Máximus*, &c.

Exceptiones.

8. Verba composita simplicium retinent accentum; ut, *Calefácio, calefácis*, &c. Quidam pronunciandum putant *Caléfacis*, &c.

9. Interdum Accentus moratur in antepenultima; ut, *Virillustris, jurisconsultus*, &c.

10. Voces indeclinabiles Accentum aliquando retinent; ut, *Siquando, Aliquando, Enímvero*, &c.

11. Excipe etiam Vocativum Propriorum in *ius*; ut, *Virgíli*, &c. Quia olim *Virgílie* erat.

12. Excipe etiam, ubi sunt voculæ, quas Encliticas appellant, sc. *Que, Ve, Ne*; ut, *Corporáque, Terráque, Altérve, Nostíne*.

13. Advertas, quasdam esse voces in *que* desinentibus, quibus hæc syllaba Enclitica non est; ut, *Dénique, útique*.

14. Major difficultas est in vocibus in *ne* finientibus; ut, *égone, egóne, Plátone, Platóne*, &c. Sciendum est voculam *ne* hic vel simpliciter interrogare, vel quid dubium significare. In priore sensu si syllaba ante *ne* sit brevis, vel anceps, accentus est in antepenultima; ut, *égone, Plátone*, &c. In posteriore pronunciandum est *egóne*, &c.

15. In Metro Regulæ interdum locum non habent; ut apud Ovid. eadem vox uno in Versu vario afficitur Accentu.

Et primo similis vólucri, mox vera volúcris.

16. Postremo usu evenit, ut quædam voces contra Regulas proferantur, e. g. *Muliéris* (ut ait Priscianus) accentum habet in penultima, licet sit brevis.

Accentus

Accentus vocum à Græca, & Hebraica lingua originem habentium.

17. Vocabula græca, quæ formam latinam perfectam, seu internam nondum induerunt, pronuncianda sunt, in quantum linguæ græcæ naturam retinent; ut, *Hæresis* in Genitivo plurali *hæreseón* quasi *hæreseon*: sic *Cimmerioon*, &c. Item Adverbia, *Ironicós*, quasi *Ironicoos*, &c.

18. Quæ in linguæ latinæ album sunt recepta, more latino pronunciari debent, ut, *Aristóteles*, *Bárnabas*, *Bóreas*, *Blasphémia*, *Córymbus*, &c.

19. Quæ habent penultimam communem, non per licentiam poëticam, sed probatorum Authorum usu, proferenda sunt secundum formam vulgo receptam; *Andréas*, *María*, *Idéa*, &c. Accentus hic est in penultima contra Regulas supra traditas, quia sic voluit usus. Huc reduci possunt hæc, & similia, *Theología*, *Philosophía*, *Harmonía*, &c. Sed alii aliter hæc pronunciant; Germani, Galli, & Hispani, ut plurimum, *Theológia* cum accentu in antepenultima; alii *Theología* cum accentu in penultima proferunt. Vide *Ricciol.*

20. Vocabula à lingua hebræa deducta, si modo latini sint juris, Regulas sequuntur; ut, *Adámus*, *Jacóbus*, *Joséphus*, &c.

21. Indeclinabilia accentu hebraico proferri satius est; ut, *Eloí*, *Ephathá*, *Sabaóth*, &c. Excipe, ubi usus aliter invaluit; ut, *Elizabeth*, *Melchísedech*, &c.

Necessaria in tertiam partem Præmonitio.

TOto errant cœlo, qui syllabarum quantitatis notitiam ad Poësin, seu Versus componendos duntaxat referunt; quum revera nulla Grammaticæ pars absque ea plenè intelligi possit. Innumeras in promtu est proferre phrases, quas syllabarum quantitatis ignarus construere nequeas. En *Virgilianum* istud,

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Cana hic conjungendum est cum *Mala*, *Tenera* cum *Lanugine*; de quo certus non sis, ni syllabarum rationem calleas. Sic, *Invēni germana viam*, Virg. &, *Chærea aliquid invĕni modo, quod ames*, Ter. Illic *ve* in *Inveni* longa, hic brevis est; illic Perfectum Indicativi, hic Præsens Imperativi. Hinc videas, voces nec rectè pronunciari, nec construi absque quantitatum cognitione. Quis, quæso, non hæreat, num media syllaba vocis *Destino* brevis, an longa sit? At hoc scrupulo te liberabit *Virgilius*.

Composito rumpit vocem, & me destĭnat aræ.

Ambigas etiam forte, num *Legittimus*, an *Legitimus* sit scribendum: at si hic Versus animum subeat, prius absurdissimum judicabis,

Quæ legis causa nupsit tibi Lælia Quinto,
Uxorem potes hanc dicere legĭtĭmam, Mart.

Quid pluribus in re tam manifesta? Si quovis modo voces liceat proferre, pereat funditus omnis conjugationum distinctio; & *Docēre* corripias æque, ac *Legĕre*: vel contra, *Legĕre* producas non secus, ac *Docēre*: & commune sit in omnibus scholis Dogma, *Nos non curămus quantĭtātes syllābărum, si modo possĭmus loqui rectum latinum.* Sunt, qui palam profitentur se Rudimenta tantum, aut saltem primam partem docere. Quasi vero intelligere quis posset Rudimenta, aut primam partem, qui secundam & tertiam ignoret. Ea est omnium affinitas, ut una absque alia nec disci, nec percipi possit. Omitto, quod Rudimenta nostra vulgaria, & *Despauterii* Grammatica tot difficultatum spinetis laborent, ut nullus sane levi, & tenui latinæ linguæ cognitione tinctus docere queat. Nec est, quod in hoc negotio tuum incuses ingenium: certo enim certius constat, plurimos ad amussim syllabarum callere quantitatem, & de Versibus optimè dijudicare, quibus tamen fato, nescio quo, condendi (ut loquuntur) venam Natura negavit.

TER-

TERTIA PARS GRAMMATICÆ.

CAP. I.

De Literis.



1. Literæ *a, b, c, d, e, f, g, i, j, l, m, n, o, p, q, r, s, t, u, v, x.*

2. Vocales *a, e, i, o, u*; reliquæ Consonantes.

3. Ex duabus Vocalibus in unam syllabam contractis fit Diphthongus.

Diphthongi { *æ, ai, au, ei, eu, œ, oi,* } ut, { *Cæsar.* *Maia.* *Audio.* *Eia.* *Eurus.* *Cœlum.* *Troia.* }

4. Non omnis contractio duarum vocalium in unam syllabam fit Diphthongum; nam *qua* in *Quatio*, *quis* in *Aliquis*, *sue* in *suetus* Diphthongi non habentur.

Consonantium aliæ sunt { Mutæ, *b, c, d, f, g, p, q, t.* Liquidæ, *l, m, n, r.* Duplices, *j, x.* }

5. Vides *i* & *u* nunc Vocalibus, nunc Consonantibus annumeranda; ut in his vocibus *Jovis* & *Virtus*: in *Jovis* prius *i* est Consonans, posterius Vocalis; in *Virtus* prius *u* est Consonans, posterius Vocalis.

6. *k, y, z* in latinis dictionibus non usurpantur; in græcis *k* Muta, *y* Vocalis, *z* duplex Consonans habetur: Atque hinc alia fit Diphthongus ex *y* & *i*, *Harpyia.*

7. *h* litera hîc non habetur. Sed de literis uberius in Orth-phia jam actum.

CAP. II.

De Syllaba.

1. VOcalis ex se syllabam constituit; ut, *Eo* disyllab- Consonans non nisi Vocalis auxilio; ut, *Ab*, Ideoque Consonans dicitur, quia una cum Vocali sonat. At hinc est, quod Vocalis, non Consonantis, quantitatem con- remus; ita, ut idem sit, rogare, quanta sit *a* in *Pater*; ac *Pater*.

2. Tertia igitur Garmmaticæ Pars agit de Syllabarum qu- titate.

3. Quantitas est Syllabæ mensura.

4. Syllaba est longa, brevis, vel anceps.

5. Longa magnam, brevis parvam, anceps nunc magnam, n- parvam habet moram inter pronunciandum; ut, *ma* in *Amare* lo- gum est; *le* in *Legere* breve; *lu* in *Volucris* anceps.

6. Longa sic notatur (-) brevis sic (◡). Ancipitis nulla nobis nota, sicut nec brevis aut longa pro Diphthongis.

CAP. III.

Regulæ generales.

Diphthongus longa est.

Aurum, *Cœlum*, &c.

ANNOT.

1. *Præ* corripitur sequente Vocali; ut, *Præit*, *Præustus*, &c. apud *Stat.* producitur.

——— *Cum vacuus domino præiret Arion*

2. Causa, quod Diphthongus producatur, est, quia duæ sylla- in unam contrahuntur. Atque hinc generalem facimus Regulam

Omnis Syllaba ex duabus conflata longa est.

Cōgo pro *Coăgo*, vel *Cōnăgo*. *Mī* pro *Mĭhi*. *Tibīcen* pro *Tibi-*

...ens pro *Vĕhĕmens.* De quo postea, cum de *Synalœpha* ...tur.

...ocalis longa est, quam sequuntur duæ Consonantes, quarum utraque, vel saltem altera est in eadem cum Vocali Syllaba.

1. *Dānt, ōmnis, Deūm cole, Pējus, Lēx, Gāza,* &c.
2. *x* valet *c* & *s*, *Dīxit*, quasi *dicsit*; *z d* & *s*, *Gāza*, quasi ...*sa*.

ANNOT.

1. Quidam negant *J* unquam duplicem esse Consonantem. ...c certe video, cur per hanc Regulam potius producatur *ma* in ...*jus*, quam *re* in *jurejurandum*. Præterea in hac voce *jejunium*, ...ero, cur posterius *j* potius statuatur duplex Consonans, quam ...ius. Posito quod dicendum esset *jujenium*, eodem modo pronun...ntur & *je* & *ju*, quo prius: at quod ante duplex fuit, nunc sim...ex evadit, & contra.

2. *m* in *Omnis* non est in syllaba cum *o*, sed cum *nis*: sic enim ...idendæ sunt syllabæ *o-mnis*, *do-ctus*, *ju-stus*, &c. de quo in Or...ographia.

3. Interdum producitur Vocalis ante duas Consonantes, licet ...aque sit in voce sequente, ut apud Virg. *la* in *Tela*; quia *s* & *c* ...quuntur.

Ferte citi flammam, date telā, scandite muros.

...ocalis est anceps, quam sequuntur Muta & Liquida in diversa syllaba.

Patris, Tenebra, Volucris, Repleo, Atlas, &c.

ANNOT.

1. Oportet, ut hæc Vocalis sua natura (vel potius usu) sit bre...; aliter corripi nequit; e. g. *fra* in *Frater* longum est; ergo & ...*a* in *fratris*: sic *la* in *Ambulacrum*, *va* in *Lavacrum*; quia deri...antur ab *Ambulātum*, *Lavātum*.

2. Diligenter Notandum, neutram ex Consonantibus conjungendam

gendam esse in eadem syllaba cum Vocali: ideoque *Smarag-* apud Mart. legendum est *Smara-gdos*.

Sardonychas Smarăgdos adamantas iaspidas uno.

3. Vocalis hæc, licet in Versu sit anceps, in Prosa tamen sem- est brevis; ut, *Tenĕbræ*, non *Tenēbræ*, &c.

Vocalis ante Vocalem brevis est.

1. *Dĕus*, *Crĕavit*, *Omnĭa*. Idque quamvis intercedat *h*; *Mĭhi*, *Nĭhil*, &c.

ANNOT.

1. Excipe in Verbo *Fio*, ubi *r* non sequitur; ut, *Fīam*, &c. Item *e* inter geminum *i*; ut, *Speciēi*.

2. Adjectiva habentia *ius* in Genitivo dubia sunt; *e. g.* *Unius*, *Ille illius*, &c. At *ri* in *Alterĭus* brevis est; *li* in *Alīus* long- ut differat à Nominativo *Alĭus*.

3. *e* in *ēheu* longa; *o* in *Ohe* anceps.

4. Vocalis ante vocalem apud Græcos incerta est; ut, *Latr-* *Sophĭa*, &c.

CAP. IV.

De Præteritis & Supinis.

Verba, quæ habent duas syllabas in Præterito, pro- ducunt priorem.

1. *Vēni*, *Vīdi*, *Vīci*. Sic *Pervēni*, &c.

2. Excipe *Bĭbi*, *Dĕdi*, *Fĭdi*, *Scĭdi*, *Stĕti*, *Tŭli*.

ANNOT.

1. *Lăvit* apud Virg. est Præsentis temporis tertiæ Conju- gationis.

Luminis effossi fluidum lăvit inde cruorem.

2. Hoc constat ex Hor. lib. 1. sat. 5.

Ora, manusque tuâ lăvimus, Feronia, lympha.

3. *Abscīdit* apud Luc. & Mart. componitur ex *Abs* & *Cæ-* non *Ab* & *Scindo*; ideoque legendum *Abs-cīdit*, non *Ab-scĭdit*.

Ille comam lævâ morienti abscīdit Ephebo, Lib. 6.
Abscīdit vultus ensis uterque sacros, Lib. 4.

Verb-

Verba geminantia Præteritum corripiunt primas duas ſyllabas.

1. *Cado cĕcĭdi.* *Tango tĕtĭgi*, &c.

2. At *Cædo*, & *Pedo* producunt poſteriorem; *Cĕcīdi*, *Pĕpēdi*.

Supina diſyllaba producunt priorem.

1. *Lūſum*, *Vīſum*, &c. Sic *Collūſum*, &c.

2. Excipe in *Do*, *sto*, *Lino*, *Sino*, *Ruo*, *Sero*, *Eo*, *Queo*, *Cieo*, *Reor*; ut, *Dătum*, *Stătum*, &c. At *ſta* in *Stāturus* longa eſt.

ANNOT.

In reliqua Verba.

1. Reliqua Verba Præſentis quantitatem ſervant; ut, *Cŏlo cŏlui*. *Dŏceo dŏcui*, &c.

2. Excipe, *Gĭgno gĕnui*. *Pōno pŏſui*. Plura impræſentiarum non occurrunt.

3. Supina polyſyllaba in *utum* producuntur; ut, *Solvo ſolūtum*. *Induo indūtum*, &c.

4. Supina in *itum* ab *ivi* in Præterito producuntur; ut, *Audivi audītum*. *Petivi petītum*, &c. Quæ ab *ivi* non veniunt, corripiuntur. *Agnoſco agnovi agnĭtum*. *Taceo tacui tacĭtum*, &c.

CAP. V.

Crementum Verbi

1. Eſt, cum quævis alia perſona plures habet ſyllabas, quam ſecunda Præſentis Indicativi: ideoque quadruplex ſtatui poteſt; per quatuor enim ſyllabas illa perſona exceditur.

Audis,	*Audimus*; (1)	primum	Crementum.
	Audiveram; (1 2)	ſecundum	
	Audiveramus; (1 2 3)	tertium	
	Audiebamini; (1 2 3 4)	quartum	

2. Primum

2. Primum Crementum est in penultima, donec accedat secundum; tunc migrat in antepenultimam; & accedente tertio, utrumque sedem promovet: & cum quartum accesserit, priora tria situm ulterius movere necesse est. Verum postrema duo appellari etiam solent secundum Crementum.

a *in Cremento Verborum.*

a producitur.

1. *Amāmus, Amābāmus, Legāmus*, &c.

2. Excipe *Do* in primo Cremento; *Dămus, dăbāmus*, &c. Sic Composita primæ Conjugationis, *Pessundămus*, &c.

e *in Cremento Verborum.*

e producitur.

1. *Amēmus, Docēmus*, &c.

2. Excipe, quæ fiunt in *eram, erim. ero, beris*, & *bere*; *ut*, *Amavĕram, Amavĕrim, Amavĕro, Amabĕris, Amabĕre*, &c.

3. Item omne Præsens tertiæ Conjugationis; ut, *Legĕris, Legĕre*, &c. Item primum Crementum Imperfecti Subjunctivi, ut, *Legĕrem, Legĕrēmus.*

ANNOT.

1. Tertia pluralis Perfecti Indicativi vulgo producitur, ut, *Amavērunt*, *Amavēre*. Sæpe tamen brevis reperitur; ut apud Virg.

Obstupui, stetĕrunt que comæ, & vox faucibus hæsit.

2. Quidam aiunt Metrum hic requirere, ut corripiatur. Contrarium certe in hoc Versu videre est.

Matri longa decem tulĕrunt fastidia menses, Id.

3. Distinguendum est inter *beris* per se, & *beris* per accidens: *beris* per se convenit omni Verbo primæ, & secundæ Conjugationis in Futuro Indicativi; *beris* per accidens quibusdam tantum Verbis Tertiæ, quæ habent *bo* in Præsenti Indicativi; *e. g. Scribo* in Futuro *scribar*, *scribēris* & *scribēre*: *beris* igitur per se brevis est, *beris* per accidens longa.

i *in Cremento Verborum.*

breve.

1. *Amavīmus, Docebīmus.*

2. Excipe primum Crementum quartæ Conjugationis; *Audīmus, Audīvīmus*, &c.

3. Item *Velīmus, Nolīmus, Sīmus*, & similia. Quibus addas Præterita in *ivi*; *Petīvi, Quæsīvi.*

ANNOT.

1. Verba disyllaba in Præterito quartæ Conjugationis corripiuntur; ut, *Venĭmus*, &c. At contra in Præsenti, *Venīmus.*

2. De *rimus* & *ritis* in Subjunctivo à Grammaticis multum litigatur. Nobis impræsentiarum sufficiat à Virgilio & Ovidio corripi.

Egerĭmus nosti, Æn. 6.
Hæc ubi dixerĭtis, Met.

o *in Cremento Verborum.*

longum.

Amatōte, estōte, &c.

u *in Cremento Verborum.*

breve.

Volŭmus, poßŭmus, &c. At *Amatūrus, Itūrus*, &c.

CAP. VI.

Crementum Nominis

1. Est, cum Genitivus, vel quivis alius Casus plures habet syllabas, quam Nominativus: estque primum, vel secundum.

2. Primum est, cum Nominativus exceditur per unicam syllabam; ut, *Sermo sermonis*. Secundum, cum per duas; ut *Sermo sermonibus*. Interdum per tres; ut, *Iter itineribus*. Verum istud ab antiquo Nominativo *Itiner*, ut alibi dictum.

3. Primum Crementum est in penultima; & accedente secundo migrat in antepenultimam; ut, *Caput capitis capitibus.*

4. Prima Declinatio in Singulari crementum non habet: de Plurali postea agetur. Secunda corripit; *Puer puĕri*, &c.

Tertia Declinatio.

a corripit.

Thema themătis, &c.

alis Neutrum longum; Masculinum breve: *elis* & *olis* longum; *ilis* & *ulis* breve.

Hoc *Animal animālis*, Hic *Hannibal hannibălis*. *Sal sălis*; *Daniel danīelis*; *Sol sōlis*; *Vigil vigĭlis*; *Consul consŭlis*, &c.

ans, *enis*, *onis* longa; *inis* breve.

Paean paeānis; *Ren rēnis*; *Sermo sermōnis*; *Homo homĭnis*, &c.

ANNOT.

1. Excipe *inis* ab *in*; *Delphin delphīnis*.

2. Propria in *o*, vel *on* incerta sunt; e. g. *Burgundio*, & *Helicon* *ōnis* longum, *Macedo*, & *Memnon ŏnis* breve formant.

ar Masculinum *aris* breve; Neutrum longum.

1. Hic *Caesar caesăris*; Hoc *Calcar calcāris*, &c.

2. Excipe *Jubar*, & *Nectar*. *Hepar ătis* breve.

er eris breve.

1. *Carcer carcĕris*, &c.

2. Excipe *Ver*, cum nonnullis graecis; ut, *Crater cratēris*, &c.

or Masculinum *oris* longum; Neutrum breve.

1. Hic *Amor amōris*; Hoc *Marmor marmŏris*.

2. *Arbor*, *Memor*, & Graeca *oris* breve; ut, *Hector hectŏris*, &c.

ur corripit.

Guttur guttŭris; *Robur robŏris*. At *Fur fūris*.

as adis breve; *atis* longum.

1. *Lampas lampădis*; *Pietas pietātis*, &c.

2. At *Anas anătis*; *Mas măris* breve. *Vas vāsis* longum.

es corripit.

1. *Pes pĕdis*; *Miles milĭtis*.

2. Excipe

2. Excipe *Hæres, Merces, Locuples, Mansues, Quies* cum mul-
græcis ; ut, *Magnes magnētis.*

corripit.

Lapis lapĭdis, &c.

Excipe *Dis, Lis, Glis, Quiris, Samnis.*

producit.

Dos dōtis ; *Os ōris.*

Excipe *Bos, Compos*, & *Impos.*

corripit.

1. *Tempus tempŏris*, &c.

2. Excipe Comparativum Gradum ; ut, *Melius meliōris*, &c.
em formantia *udis, uris, utis* ; ut, *Palus palūdis, Tellus tellūris,
tus virtūtis*, &c. Hinc excipe *Intercus, Ligus, Pecus.*

inita in *s* præcedente Consonante corripiunt.

1. *Hyems hyĕmis* ; *Inops inŏpis*, &c.

2. Excipe *Plebs* cum paucis græcis ; ut, *Cyclops, Hydrops,
rops*, &c.

corripit.

Caput capĭtis, &c.

corripit syllabam ante *gis.*

Grex grĕgis, Remex remĭgis, &c.

ax acis, ix icis, ox ocis producit.

Pax pācis ; *Felix felīcis* ; *Ferox ferōcis.*

ex ecis & *icis, ux ucis* corripit.

Nex nĕcis ; *Vertex vertĭcis* ; *Dux dŭcis.*

ANNOT.

Excipe in
- *ax*, *Abax Climax, Fax, Similax*, cum paucis græcis ; ut, *Arctophylax*, &c.
- *ex*, *Fex, Halex, Vervex.*
- *ix*, *Calix, Eryx, Filix, Fornix, Nix, Pix, Salix, Varix, Vix.*
- *ox*, *Cappadox, Præcox.*
- *ux*, *Lux, Pollux.*

Quædam restant voces ab istis Regulis declinantes, quas præ inter legendum notare, quam hic describere; ut, *Atax*, *Atrax*, *lax*, *Coxendix*, *Histrix*, &c.

Numerus pluralis.

a, *e*, *o*, longa; *i* & *u* brevia sunt.

Pennārum, *Librōrum*, *Rērum*; *Temporĭbus*, *Fructĭbus*, *P tŭbus*.

ANNOT.

In Derivativa.

1. Derivativum Primitivi servat quantitatem; ut, *le* in *Lē* longa est; ergo & *le* in *Lēgeram*, *Lēgerim*, &c. Item priores du syllabæ in *ănĭmus* corripiuntur; ergo & in *ănĭmosus*. Sic *gi* *Virgĭnis*, ergo *gi* in *Virgĭneus*, &c.

2. Plurima Derivativa brevia sunt, licet eorum Primitiva si longa; ut, *Dux dŭcis* à *Dūco*, *Dĭcax* à *Dīco*, *Sŏpor* à *Sōpio*, *Săg* à *Sāgio*, *Fĭdes* à *Fīdo*, &c.

3. Et contra *Vox vōcis* à *Vŏco*, *Rex rēgis*, & *Rēgula* à *Rĕg* *Tēgula* à *Tĕgo*, *Sēdes* à *Sĕdeo*, &c.

4. Idem videas in quibusdam Diminutivis; ut, *Mămill* *māmma*, *Sĭgillum* à *sīgnum*, &c.

5. Num *Dux* deriveтur à *duco*; an *duco* à *dux*; *Fides* à *fido*, *fido* à *fides*, &c. aliorum esto judicium.

ANNOT.

In Composita.

1. Compositum Simplicis servat quantitatem; ut, *Lĕgo*, *per lĕgo*, &c.

2. Idem fit, etsi Vocalis, aut Diphthongus mutetur; ut, *ag* *adĭgo*; *Lædo*, *illīdo*, &c.

3. Plurima excipiuntur *Dīco causĭdĭcus*; *Sōpio semĭsōpitu* *Juro dejĕro*, *pejĕro*; *Nūbo innŭba*, *pronŭba*: at *nu* in *connubi* anceps est. *i* in *ĭtum* breve; *i* in *ambītus* Participio longum; sic in *comīta*: *fi* in *perfĭdus* breve, in *infidus* longum: *di* in *pradĭ*

pr

dicas; *du* in *edūco educas* breve; in *prædīco prædicis*, *edūco* *cis* longum.

4. Si dictio componatur ex duabus vocibus, priore in *i* finiente; *i* breve est; ut, *Agrĭcola*, *Omnĭpotens*, &c.

5. Multa etiam hinc excipiuntur; ut, *Bīduum*, *Trīduum*, *Trī-ni*, *Bīgæ*, *Trīgæ*, *Merīdies*: *ti* in *Quotidie*, & *quotidianus* an-ceps est.

6. De *ri* in *Paricida*, & *tri* in *Matricida* multum rixantur Grammatici, quibus accenseri nolumus.

CAP. VII.

De ultima vocis syllaba.

declinatum breve, non declinatum longum.

Declinatum;	*Pennă*, *Temporă*, *Gigantă*. Excipe Ablativum *Pennā*.
Non declinatum;	*Amā*, *Frustrā*, *Intereā*. Excipe, *Eiă*, *Ită*, *Quiă*.

ANNOT.

1. Per *Declinatum* hic intelligimus vocem per Casum flexam; per *Non declinatum* quamvis aliam.

2. Vocativus græcus à Nominativo in *as* producitur; ut, *Æneas Æneā*.

3. Finita in *ginta* raro corripiuntur; ut, *Triginta*, &c.

4. *Antea*, *Postea*, *Contra*, *Ultra*, interdum corripi reperies; Ovid.

Posteă mirabar, cur non sine litibus essct.

5. Forte divisim legendum est, *post ea.*

6. Propertius producit *la* in *illa*

Hypsipylē nullos post illā sensit amores.

Et cur non *Postilla* adverbiascere potest æque, ac *Postea*.

7. *Puta* pro *Videlicet* breve; pro *Existima* longum habetur, ut apud *Pers.*

Hoc pută non justum est, illud male, justius istud.

Quidam legendum aiunt, *Hoc puto*, &c.

e breve.

1. *Sedilĕ*, *Amarĕ*, &c.

2. Excipe *e* in prima, & quinta declinatione; *Grammaticē*, di cum Compositis; *Hodiē*, *Quotidiē*, &c.

3. Item Adverbia ab Adjectivis secundæ declinationis deducta ut, *Justē*, *Maximē*, *Valdē* pro *validē*, &c. Quibus addas, *Ferē* *Fermē*, *Ohē*. At *Benĕ*, & *Malĕ* corripiuntur.

4. Producitur etiam, Imperativus secundæ Conjugationis *Docē*, *Vidē*, &c.

45. Item Monosyllaba *Mē*, *Tē*, Sē, Sēsē, &c. Excipe voces quas Encliticas appellant, sc. *que*, *ne*, *ve*; *dixitquĕ*, *Tunĕ*, *Illenĕ*.

ANNOT.

1. *Superne*, & *Inferne* sæpe corripiuntur; ut, apud *Lucret.*
Tecta supernĕ timent, metuunt infernĕ cavernas.
Terra supernĕ tremit ————

2. Imperativus sæpius brevis legitur; *Hor.*
Vade, vale, cavĕ, ne titubes, mandataque frangas.
Tu cavĕ, defendas ------ Ovid.
Si quando veniet, dicet respondĕ Poëta. Mart.

3. Quidam volunt *Cave*, & *Responde* hic esse tertiæ Conjugationis. Posterius Nominaliter accipi potest: ut & posterius *Vale* apud *Virg.*
Et longum formose vale valĕ, inquit, Iola.

i longum.

Dominī, *Amarī*, &c.

Hæc dubia sunt, *Mihi*, *Tibi*, *Sibi*, *Cui*, *Ibi*, *Ubi*, *Nisi*, *Quasi*.

ANNOT.

1. *Nisĭ* & *Quasĭ* fere semper corripiuntur.

2. Vocativus græcus brevis est; ut, *Alexĭ*. Sic Dativus; ut, *Palladĭ* Excipe Dativum contractum; ut, *Demosthenī* pro *Demosthenĕï*.

3. Brevia etiam habentur Indeclinabilia in *i*; ut, *Gummĭ*, *Sinapĭ*, &c.

o anceps.

o anceps.

1. *Sermo*, *Amo*, &c.

2. At Dativus & Ablativus producuntur; ut, *Dominō*. Item Monosyllaba; ut, *Dō*, *Stō*, &c. Sic Adverbia à Nominibus derivata; ut, *Primō*, *Tantō*, *Quantō*, &c. Ast hæc vera sunt Nomina.

3. *Cito*, *Crebro*, *Mutuo*, *Sedulo*, *Sero*, & Gerundia interdum; *Modŏ* pro *Solum* semper; *Ergō* pro *Causa* nunquam corripitur.

4. Græca in *o* habentia *us* in Genitivo; ut, *Didō didus*; sic *Androgeō* & similia producuntur.

u longum.

Fructū, &c.

b breve.

ăb, *ŏb*, &c. Excipe *Jōb*, *Jacōb*, &c.

c longum.

Sīc, &c. Excipe *Nĕc*, & *Donĕc*. *Fac* & *Hic* Pronomen dubia sunt.

d breve.

ăd, &c.

l breve.

Mĕl, &c.

Excipe *Sōl*, *Sāl*, *Nīl*, *Daniēl*, & similia.

n longum.

1. *Nōn*, &c.

Excipe *ăn*, *ĭn*, *Deĭn*, *Proĭn*, *Forsăn*, *Forsităn*, *Tamĕn*, *Vidĕn*, & similia.

2. Item Nomina in *en* formantia *ĭnis* in Genitivo; ut, *Carmĕn*, *Pectĕn*, &c.

ANNOT.

On secundæ declinationis brevis est; ut, *Iliŏn Ilii*. Item Accusativus in *an*, modo Nominativus brevis fuerit; ut, *Maiă maiăn*; *Alexĭs alexĭn*: at *Æneās aneān*. His adde *Arcas* in Dativo plurali *arcasĭn*.

 r breve.

r breve.

Amŏr.

Excipe *Cūr, Fār, Lār, Fūr, Hīr, Vēr, Nār, Pār.*

ANNOT.

1. Græca in *er* crescente Genitivo longa sunt; ut, *Aēr aëris*, &c.
2. *Cōr*, & *Vīr* interdum producuntur.

as longum.

Pietās.

ANNOT.

1. Excipe, quæ habent *adis* in Genitivo; ut, *Arcăs arcadis.* Item Accusativum pluralem tertiæ declinationis; ut, *Arcadăs*; *Troăs.*

2. *Anas* apud *Petron.* corripitur.

Et pictis anăs enovata pennis.

es longum.

1. *Docēs*, &c.

2. Excipe *Penĕs*, & *ĕs* à *Sum*. Item græca crescentia; ut, *Dæmon dæmonĕs*: & Neutra; ut, *Cacoethĕs.*

3. Corripe etiam latina, si Crementum sit breve; ut, *Milĕs militis.* Hinc excipe *Abiēs, Ariēs, Cerēs, Pariēs*, & *Pēs.* Composita à *Pes* interdum corripiuntur.

is breve.

1. *Lapĭs*; &c.

2. Excipe *is* in Plurali Nominum; ut, *Pennīs, Librīs, Nobīs, Omnis, Urbis* pro *omneis, urbeis.* Item *Gratis, Foris*: & Nomina, quorum Crementum producitur; ut, *Dis, ditis*: His adde Verba habentia *itis* longum; ut *audis auditis.* Sic *Vis* à *Volo.*

os longum.

1. *Mōs*, &c.

2. Excipe *Compŏs, Impŏs ŏs, ossis*, & Græca secundæ declinationis; ut, *Synodŏs* pro *synodus.* Item Genitivum Tertiæ; ut, *Arcadŏs.*

ANNOT.

ANNOT.

1. Qua authoritate corripiat Buchananus tos in *Custos*, judicent alii, 2 Epig.

Hunc Ransforte tuo cineri Buchananus honorem
Dat meritum duro custŏs in exilio.

[u]s breve.

1. *Tempŭs*, &c.

2. Excipe Genitivum singularem; Nominativum, Accusativum, Vocativum plurales quartæ declinationis; ut, *Fructūs*, &c. Item Genitivum Tertiæ; ut, *Dido didūs.* Sed hoc fit, quia contrahitur ex *didonis*.

3. Producuntur etiam, quæ retinent *u* in Cremento Genitivi; ut, *Palūs*, *paludis*; *Tellūs telluris*; *Virtūs virtutis*, &c. At Hor. corripit *Palŭs*; Mart. Capel. *Tellŭs*.

Regis opus sterilisque diu palŭs aptaque remis.
Interrivata marmore tellŭs erat.

[u]t breve.

Capŭt, &c.

ANNOT.

1. Superius dictum personas contractas produci; ut, *Formāt* pro *formavit*; *īt* pro *iit*, &c. Virg.

Dum trepidant, īt hasta Tago per tempus utrumque.

CAP. VII.

De quantitate Præpositionum in Compositis.

Præpotsiio in Compositis propriam servat quantitatem.

1. *ā*, *dē*, *ē*, *prō* longa sunt per Regulas jam traditas; ergo & in his Verbis *āmoveo*, *ēvoco*, *dēduco*, *prōfero*.

2. Sic *ăb*, *ăd*, *antĕ*, *ĭn*, *supĕr*, brevia sunt; ergo in his Verbis *ăbeo*, *ădigo*. *antĕvenio*, *ĭnesse*, *supĕresse*.

 3. Excipe

3. Excipe *pro* in *Prŏcella*, *Prŏfanus*, *Prŏfari*, *Prŏfecto*, *Prŏfestus*, *Prŏficiſcor*, *Prŏfugio*, *Prŏfundus*, *Prŏnepos*, *Prŏtervus*; & in Græcis; ut, *Prŏpheta*. In quibuſdam eſt anceps; ut, *Procuro*, *Profundo*, *Propello*, *Propago*.

ANNOT.

1. Poſitio, ſeu ſitus literarum quantitatem ſæpe mutat; e.g. *īnſumōnes*. *Dēſum dĕeſt*. apud Stat. *de* in *deeſt* producitur.

Dēeſt ſervitio plebes hoc ignis egentis.

2. Et apud *Virg.* Vocalis ante Vocalem auſertur; *Deeſt jam terra fuga* ——— ſcandendum eſt, *Deſt*, &c.

re breve.

1. *Rĕdeo*, *Rĕfero*.

2. Excipe in hiſce, *Nil meâ rēfert*. *Patris rēfert*, &c. Item ante *j* Conſonans, ut, *Rējicio*; quod ſic corripitur; *Rĕĭcio rĕĭcit:* ſic *ăbicit*, pro *ābjicit*: Poëtæ enim nunc auſerunt, nunc geminant literam; ut, *Rĕligio*, *rēlligio*; *rĕtulit*, *rēttulit*, &c.

di & *ſe* producuntur.

Dīduco, *Sēpono*.

Excipe *Dĭſertus*, & *Dĭrimo*; quæ num inde componantur, dubitari poteſt.

con & *circum* corripiuntur.

Cŏmedo, *Circŭmeo*.

Regula generaliſſima.

ultima ſyllaba cujuſque Verſus eſt anceps.

Nemo errare poteſt in fine Verſûs.

Poſtſcriptum

1. Syllaba, cujus quantitas ex hiſce Regulis non conſtat, ex probato aliquo Autore eſt petenda; e.g. Quæro, quanta ſit *cu* in *Cubo*, quam brevem reperio apud *Virg.*

Tityre tu patulæ recŭbans ſub tegmine fagi.

2. Et quoniam ſæpe nulla nobis occurrit authoritas, idcirco comparati

comparati sunt libri, qui cujusvis fere vocis quantitatem exhibeant: qualis *Smetii* Prosodia, liber in hunc usum apprime utilis.

DE CARMINE.

1. Carmen est oratio certis mensuris restricta, fitque ex pedibus; pedes ex syllabis.

2. Pes constat duabus, tribus, aut quatuor syllabis:

Duabus;	Pyrrhichius,	˘ ˘	ut,	*Dĕŭs.*
	Spondeus,	¯ ¯		*Pēnnās.*
	Iambus,	˘ ¯		*Dĕō.*
	Trochæus,	¯ ˘		*Pēnnă.*
Tribus;	Tribrachys,	˘ ˘ ˘		*Prĭămŭs.*
	Anapæstus,	˘ ˘ ¯		*Dŏmĭnī.*
	Dactylus,	¯ ˘ ˘		*Cārmĭnă.*
Quatuor;	Proceleusmaticus,	˘ ˘ ˘ ˘		*Hŏmĭnĭbŭs.*
	Choriambus,	¯ ˘ ˘ ¯		*Hīstŏrĭās.*

ANNOT.

1. Alii aliis plures statuunt pedes. *Alstedius* describit centum viginti quatuor, qui omnes ad sex vel septem reduci possunt. Quid aliud est *Proceleusmaticus*, quam duo *Pyrrhichii?* Cur igitur excrucianda est puerorum memoria tot barbaris vocabulis, *Anapæstolatius, Latiantidactylus, Cretioscholius, Scholiobacchius, Bacchiocreticus, Choriantibacchius,* &c.

Carmen Adonicum

Constat Dactylo, & Spondeo.

Gaūdĭă pēllĕ. Pēllĕ tĭ-mōrem.

Carmen Pherecratium

Constat Spondeo, Dactylo, & Spondeo.

Nīgrīs æquŏră vēntīs. Hor. Od. 5.

ANNOT.

A N N O T.

1. Pro priore Spondeo habet Catullus Trochæum, Boethius Anapæstum.

Prōdĕas nŏvă nuptă.
Sĭmĭli surgit ab ortu.

Carmen Archilochium

Constat duobus Dactylis, & Cæsurâ seu syllabâ.

arbori-busque co mæ. Hor. Od. 7. lib. 4.

Carmen Alcmanium

Constat tribus Dactylis & Cæsurâ.

Mūnĕră lætitĭ-amque dĕ i. Virg. Æn. 1.

A N N O T.

1. Solent hi Versiculi vulgo appellari partes Hexametri; idcirco prius tradidimus, ut via ad illud præsterneretur; quod, ut est longe optimum Versûs genus, sic difficillimum, quod à pueris scandatur. Sed alia duo restant genera, quæ Hexametri etiam partes dicuntur.

1. *Genus*

Constat quatuor primis Hexametri pedibus, sed ultimo semper Dactylo.

Lūmĭnĭ-busque prĭ-ŏr rĕdĭ-it vigor. Poet.

2. *Genus, seu dactylicus tetrameter*

Constat quatuor ultimis pedibus Hexametri.

ō fōr-tēs pe-jorăque passi. Hor. Od. 7.

Carmen Hexametrum

Constat sex pedibus, primis quatuor Dactylis vel Spondeis; quinto Dactylo; sexto Spondeo.

Tē re-rūm Dĕŭs ālmĕ că-nām dŏmĭ-nūmquĕ pă-trēmque.

A N N O T.

1. Sæpius in quinto loco Spondeum reperias, præsertim in re gravi & tristi, ut apud *Buch. ps.* 137.

Diripite ex imis evertite fundāmentis.

2. Inter-

2. Interdum etiam in quatuor primis locis alios videmus pedes, ut apud *Virg.* in priore Versu Anapæstum; in posteriore Proceleusmaticum.

Fluviorum rex Eridanus camposque per omnes.
Hærent părĭĕtĭbus scalæ postesque sub ipsos.

3. At Parieti in Dactylum vulgo sic contrahitur, *părjĕtĭ*, mutatâ Vocali in Consonantem.

Leges Hexametri.

1. Etsi in primis quatuor locis Dactylos, vel Spondeos pro tuo arbitrio locare licet, vulgo tamen vel pares, vel plures Dactyli esse solent; ut apud *Virg.*

Infāndūm rēgīnă jŭbēs rĕnŏvārĕ dŏlōrem.
Tityrĕ tū pătŭlæ rĕcŭbāns sŭb tĕgmĭnĕ fagi.

2. In materia quidem gravi & lenta plures oportet esse Spondeos, ut apud eundem.

Ollī sēdātō rēspōndīt cōrdē Latinus.

3. Interdum vocum sonus rem quasi præ oculis exponit, ut patet ex *Virgilio* describente *Vulcani* fabros in monte Ætna fulmina *Jovi* fabricantes.

Illī īntēr sēsē māgnā vī brāchĭă tollunt.

Viden, hasce voculas *Sese* respondere Hem hem, quæ edere solent fabri inter operandum: & *Magnā vi* in Ablativo demonstrare lentum illum circumrotandi brachia modum, quo utuntur ferrarii.

4. At contra in materia celeri & festinanti pluribus uti oportet Dactylis; quod à *Virgilio* etiam factum vides equi celeritatem depingente.

Quādrŭpĕdāntĕ pŭtrēm sŏnĭtū quătĭt ūngŭlă campum.

5. Alibi celerem columbæ volatum describens sic ait.

——————— mox aere lapsa quieto
Rādĭt ĭtĕr lĭquĭdūm, cĕlĕrēs nĕquĕ cōmmŏvĕt alas.

Vitia Hexametri.

1. Hexametrum bonum non est, cujus voces inter scandendum non rumpuntur; ut,

Urbēm fōrtēm nūpēr cēpit fōrtĭŏr hōstis.

2. Nec

2. Nec quod in fine multas habet voces disyllabas, quale est illud Tibulli.

Sēmpĕr, ŭt īndūcār, blāndōs ōffĕrt mĭhĭ vūltus.

3. Nec Versus (ut loquuntur) Leonini, i.e. rhythmicè finientes, quales,

I nunc, & verbis virtutem illude superbis. Virg.

Si Troiæ fatis aliquid restare putatis. Ovid.

4. Cave tamen, putes Versus illos *Buchanani* ps. 137. Leoninos esse.

5. Nec bonum habetur, cujus ultima vox est monosyllaba, ut apud Virg.

Tum pietate gravem, ac meritis si forte virum quem.

6. Excipe, si vox illa incipiat à vocali, ut apud eundem.

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

7. Nec, cujus ultima vox quatuor habet syllabas;

Amphion Dircæus in Actæo Aracintho. Id.

8. Postremo, nequaquam bonum est, in quo multæ & duræ sunt collisiones, & elisiones, seu hiatus, ut ex sequentibus liquet.

Troia (nefas) commune sepulchrum Europæ Asiæque,

Troia virum & virtutum omnium acerba cinis, Catul.

Quam modo, qui me unum atque unicum amicum habuit.

9. Imo nec bonum est, licet unica tantum sit elisio, modo fiat in initio aut fine Versûs, ut apud *Hor.*

Nam ut ferulâ cædas meritum majora subire,

Loripedem rectus derideat Æthiopem albus.

10. Complura alia sunt vitia; verum hæc impræsentiarum sufficiant. Sciendum autem, has conditiones ad Heroïca, non Satyrica pertinere. Hæc hominum vitiis carpunt, illa illustrium virorum gesta narrant: nec tanta in his, quanta in illis spectatur Poëmatis *acribeia.*

Carmen Pentametrum

Constat quinque pedibus, primis duobus Dactylis vel Spondeis; tertio Spondeo; quarto, & quinto Anapæstis.

Hēi mĭhĭ quŏd dŏmĭ-nō nōn lĭcĕt ī-rĕ tŭō.

Aliter.

Aliter Scandas

1. Post duos pedes sit Cæsura, seu unica syllaba; dein duo Dactyli cum alia Cæsura.

Hēi mĭhĭ quōd dŏmĭ-nō nōn lĭcĕt īrĕ tŭ-o.

Vitia Pentametri.

1. Pentametrum bonum non est, quod Cæsuram habet in initio, vel medio vocis; ut,

Hæc quoque nostræ sententia mentis erat, Diomed.
Illam affligit odore, ipse perit podagra, Catul.

2. Nec, quod in ipsa Cæsura elisionem patitur, ut in Versu Catulliano jam citato.

Troia virum & virtutum omnium acerba cinis.

3. Nec, ubi Cæsura in monasyllabam incidit; ut,

O dii reddite mi hoc pro pietate mea.
Aut facere hæc à te dictaque factaque sunt. Catul.

4. At non respuenda sunt hæc Ovidii, & similia;

Præmia si studio consequar ista, sat est.
Nomina mutarunt, hic Deus, illa Dea est.

5. Postremo, Pentametrum, quod una cum Hexametro perfectum sensum non conficit, bonum non habetur; ut apud Ovid.

Quid tibi Pisandrum, Polybûmque, Medontáque dirum,
Eurymachíque avidas, Antinoíque manus,
Atque alios referam?

6. De reliquorum Carminum vitiis ex supra-dictis conjecturam facias.

Quid sit Cæsura.

Cæsura est syllaba ex præcedente voce residua, & sequenti inter scandendum jungenda; ut *dum*, & *bes* in hoc Versu.

Infān-dūm rē-gīnă jŭ-bēs rĕnŏ-vārĕ dŏ-lōrem.

ANNOT.

1. Cæsura quadruplex vulgo statuitur, *Triemimeris*, *Penthemimeris*, *Hephthemimeris*, *Ennemimeris*. Prima est, cum post unicum pedem remanet syllaba, secunda post duos, tertia post tres, quarta post quatuor; quas omnes in hoc Versu videas;

Illĕ lă-tŭs nĭvĕ-ūm mōl-lī fūl-tūs hyăcīnthō.

2. Addi

2. Addi potuit & quinta, quam Hendecamimerim appelles; ubi post quintum pedem remanet syllaba; ut apud Virg.

Vertitur intereà cælum et ruit oceă-no nox.

3. Parum certe refert, num ista Vocabula calleas, necne; modo scias syllabam post aliquem pedem residuam Cæsuram appellari, quia cæditur, vel scinditur ab una voce, & alii inter scandendum annectitur. Quæ syllaba, etsi naturâ brevis, sæpius tamen producitur; ut, *bus* in Pectoribus, & *mor* in *Amor* in his Versibus

Pectoribus inhians spirantia consulit exta,

Omnia vincit amōr, & nos cedamus amori. Virg.

4. Quidam aiunt in priore esse Tribrachyn, in posteriore Iambum: quod facile concedimus, modo dicas, hos pedes tunc fieri, cum remanet syllaba post aliquem pedem sequenti jungenda.

Eclipsis.

1. Cum dictio in *m* desinit, & sequens à Vocali, aut Diphthongo incipit, *m* cum Vocali præcedente aufertur.

Utendum est ætate: cito pede labitur ætas.

Scande, *Utēn-d' ēst æ-tātĕ; cĭ-to pĕdĕ lābĭtur ætas.*

ANNOT.

1. *m* interdum auferri volunt ante Consonantem; ut apud Lucret.

Lanigeræ pecudes & equorum duellica proles.

Scandunt *quōrŭ dŭ ēllĭcă*. Forte scandendum, *quōrūm duellĭcă* contrahendo *duel* in unicam syllabam; *due*, ut *sue* in *suetus*.

2. *m* non ablatum corripitur; ut apud eundem.

Corporŭm officium est, & quod premit omnia deorsum.

Insignita fere tum millia militŭm octo, Enn.

3. *m* cum sua Vocali aliquando aufertur à fine Versus, cum sequens à Vocali incipiat, ut apud Virg.

Aut dulcis musti Vulcano dēcoquit hŭmōrem

Et foliis. Scande, *r'-ēt fōlĭ*-&c.

4. *s* interdum aufertur, ut apud Lucil.

Tristes difficĭlēs sŭmŭs fastidimus bonorum.

Scandunt *Tristes d'ĭffĭcĭ-lēs sŭmŭ*-&c.

5. Scandas etiam, *lēs sŭmūs*, sic erit Amphimacer, seu Creticus, Pes constans longâ brevi, & longâ.

Syn-

Synalœpha.

1. Cum dictio in Vocali, aut Diphthongo desinit, & sequens ab ea incipit, Vocalis aut Diphthongus prioris vocis aufertur:

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

Conticu-er' o-mnes in-tenti-qu' ora te-nebant.

2. Excipe o, heu, ah, proh, & io.

Te Corydon, ŏ Alexi; trahit sua quemque voluptas.

Hēu ŭbī pacta fides, ubi quæ jurare solebas? Ovid.

ANNOT.

1. In aliis etiam vocibus Vocalis ante Vocalem interdum remanet; ut i in pecori in hoc Versu:

Et succus pecorī ĕt lac subducitur agnis.

2. Atque hæc Vocalis, seu Diphthongus sæpe corripitur, licet sua naturâ sit longa; ut *Qui* in hoc Versu Virg.

Credimus ăn quī ămant ipsi sibi somnia fingunt.

3. Sic *læ* in *Insulæ*,

Nunc magno nobis sunt īnsŭlæ ore canendæ.

4. Postremo, Vocalis interdum aufertur à fine Versus, cum sequens à Vocali, aut Diphthongo inchoatur, ut apud Virg.

Et magnos membrorum artus magna ossa lacertosque

Exuit, Scande, *qu' ēxŭĭt.*

Synalœpha in eadem dictione.

1. Interdum Vocalis ante Vocalem in eadem voce aufertur; ut, *Alvearia alvaria.*

Seu lento fuerint alvearia vimine texta, Virg.

2. Sic *Omnia* in fine Versus contrahunt in *Omna.*

Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia.

3. Hic tum in eadem, tum in diversis dictionibus Vocalem ante Vocalem auferri vides;

Uno, eodemque tulit partu, paribusque revinxit.

Scande, *ūn' ō dēmquĕ tu-*&c.

Voces præcipuæ, in quibus fit Synalœpha in eadem dictione.

1. *Alveum, Antehac, Aureum,* Cui, *Deest, Dehinc, Deinde,*

 Deorsum,

Deorsum, Dii, Eadem, Huic, Laquearia, Prehendo, Proinde, Semianimis, Seorsum; & similia; ut, *Deeram, Diis,* &c. Quæ sic contrahunt *Alvum, Dinc, Dinde,* &c. Sunt, qui per Diphthongum sic, *Deinde* per duas syllabas. Quid pluribus? dici nequit, quantas excitent rixas de syllabarum contractione. Atque hic obiter liceat subjungere historiam haud injucundam.

2. Convenerant quondam septem Grammatici, à quibus multa hinc inde proponebantur dubia; at vix, ac ne vix quidem de unico pro certo conclusum erat. Inter alia fuit & hoc, quanta nimirum esset *pi* in *Pituita*. In medium vix proferebatur, cum extemplo responderet unus, esse brevem. Istud (inquit) clare patet ex *Horatio*;

Præcipue sanus nisi cum pĭtŭita molesta est

Nequaquam, inquit alius, corripitur, nisi licentiâ poëticâ; suâ naturâ longa est, ut liquet ex *Persio*.

Somnia pītuita qui purgatissima mittunt.

Hinc rixæ, & altercationes haud parvæ, uter poëtarum licentiam sibi assumeret; donec tertius audacter assereret esse ancipitem. Tres reliqui loquendi desiderio interim flagrantes, tandem altâ exclamarunt voce, in magno errore versari omnes. Vox enim (inquiebant illi) *Pituita* in tres syllabas est contrahenda; atque sic longa semper est. Qui hoc fiet, dixit, qui dubium proposuerat? Nihil facilius; ait unus è tribus. Auferatur, ut vulgo fit, Vocalis ante Vocalem; *Pituita, pitita*, ut *Alvearia, alvaria*. Nequaquam ita est, inquit alius. Convertenda est Vocalis in Consonantem; *Pituita, pitvita*; ut, *Ariete arjete*. Longe fallimini ambo, ait tertius: nec Vocalis ante Vocalem delenda, nec in Consonantem vertenda: sed hæ duæ syllabæ *Tu-i* in unicam conjungendæ: *Tui* proferendum, sicut *Qui*. Hic verè completum est Adagium, *Quot capita, tot sententiæ*.

3. In animum hic revocetur, quod superius in secunda generali Regula dictum est, sc. omnem syllabam ex duabus conflatam esse longam; ut, *īt* pro *iit*; *vēmens* pro *vĕhĕmens*. Interdum tamen contrarium videre est e. g. *Semĭhŏmo sĕmŏmo*, vel, (ut alii volunt) *smihomo*; *Semĭ ănimis sĕmănimis*, vel *smianimis*, &c. Hic distinguere solent inter *Syncopen*, per quam syllaba abscinditur; & *Synæresin*, vel *Synizesin*, per quam duæ syllabæ in unam conflantur. Per poste-

posterius, aiunt syllabam tantum produci; per prius manere, in eo, quo ante fuerat statu. Ingenue fatemur nostrum non esse hanc capere distinctionem: nam *it* pro *iit*, vel potest hic dici, duo *ii* in unum coalescere; vel alterum abscindi. Utrum fiat, me latet: eodem redibit, si hoc, aut illud asseras. Concludimus igitur inanem esse hanc distinctionem; nec certam hac de re ullam tradi posse Regulam.

Diæresis.

1. Interdum una syllaba in duas resolvitur; ut, *Sylva sylüa. Solvisse solüisse*;

Debuerant susos evolvisse suos.

Scande, *debuerant fusos evolüisse suos.*

2. Huc reducantur hæc & similia, *Jacobus*, *Joannes*, quæ vulgo tribus constant syllabis, per quatuor efferenda, sic; *I-acobus I-oannes.* Sic *Jesus* vulgo dissyllabum, per tres efferri debet, *I-esus.*

VERSUS CHORIAMBICI.

1. *Genus, seu Versus Glyconicus.*

Constat Spondeo, Choriambo, & Iambo seu Pyrrhychio; vel, si placet, Spondeo, & duobus Dactylis.

Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur sibi. Sen.

2. *Genus*

Constat Spondeo, duobus Choriambis, & Cæsurâ.

O quam glorifica luce coruscas?
Qui tecum nitida vivit in æthra, Boet.

3. *Genus, seu Versus Asclepiadeus*

Constat Spondeo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio; vel (quod eodem redit) Spondeo, Dactylo, Cæsura, & duobus Dactylis.

Mæcenas atavis edite regibus. Hor.

4. Genus

Constat Spondeo, tribus Choriambis, & Iambo.

Sēu plūrēs hyĕmēs, sēu trĭbŭit Iūpitĕr ūltĭmam.

HENDECASYLLABI.

1. Genus, seu Versus Sapphicus

Constat Trochæo, Spondeo, Dactylo, & duobus Trochæis.

Mēns Dĕō lāudēs cănĕ ; rēddĕ grātes,
Mens Deo : nullis benefacta seclis
Excidant, & quæ tribuit benigna
Munera dextra.

1. Tribus (ut vides) Sapphicis subjungitur Adonicus.
2. Buchananus ps. 90. habet in secundo loco Trochæum.

Mox humi comis jacet arefactis.

2. Genus, seu Versus Phaleucius

Constat Spondeo, Dactylo, & tribus Trochæis.

Vōs hinc īntĕrĕā vălēte, ăbite,
Illuc unde malum pedem tulistis,
Secli incommoda pessimi Poëta. Catul.

1. Versus Sapphicus in Phaleucium facile commutatur, & contra ; utpote uterque constat iisdem pedibus.

Sap. *Non eget Mauri jaculis neque arcu.* Hor.
Phal, *Non Mauri jaculis eget, neque arcu.*
Phal. *Nympharum pater, amniumque Rhene.* Mart.
Sap. *Rhene Nympharum pater, amniumque.*

3. Genus, seu Versus Alcaicus major

Constat duobus Iambis, Cæsurâ, & duobus Dactylis.

Vĭdēs ŭt āltā, stēt nĭvĕ cāndĭdum, Hor.

1. In primo loco sæpe est Spondeus.

Aūdīre magnos jam videor duces. Hor. Lib. 2.

4. Genus, seu Versus Alcaicus minor

Constat decem syllabis ; sc. duobus Dactylis, & duobus Trochæis.

Prætĕr ătrōcem ănĭmūm Cătōnis. Ibid.

1. Duobus

1. Duobus Alcaïcis majoribus subjicitur Iambicus dimeter, redundans per syllabam; huic subditur Alcaïcus minor.

VERSUS ANAPÆSTICI.

1. *Genus*

Constat duobus pedibus, Anapæstis, *Dactylis*, vel Spondeis pro arbitrio.

Dēflētĕ vĭrum,
Quō nōn ălĭus
Pŏtŭĭt cĭtĭus
Dĭscĕrĕ cāusas.
ūnā tāntum.
Pārte āudītā,
Sæpe ĕt nĕutra.
Sen. in mortem *Claudii.*

2. *Genus*

Constat quatuor pedibus, Anapæstis, Dactylis, vel Spondeis indifferenter.

Quāntī cāsūs hūmānā rŏtant?
Mĭnŭs ĭn pārvīs Fōrtūnă fŭrit, Sen.

VERSUS ARCHILOCHII.

1. *Genus*

Constat quatuor primis Hexametri pedibus, sed ultimo semper Dactylo; & tribus Trochæis. *Hor.* lib. 1. Od. 4.

Sōlvĭtŭr ācrĭs hyēms grātā vĭcĕ vērĭs, ĕt făvōni.

2. *Genus*

Constat duobus Iambis, Cæsura & tribus Trochæis.

Trăhūntquĕ sīccās māchĭnæ cărīnas, Ibid.

VERSUS IAMBICI

Vel considerantur quoad pedum diversitatem, vel numerum.

Iambici quoad pedum diversitatem.

1. *Genus, seu purus Iambicus*

Constat sex Iambis, *Hor.* Epod. 16.

Sŭīs ĕt īpsă Rōmă vīrĭbūs rŭit.

2. *Genus*

Habet in locis imparibus (i.e. primo, tertio, quinto) Spondeum.

Pārs sānītātĭs vēllĕ sānārī fŭit, Sen.

1. Interdum in solo quinto loco est Spondeus.

ămŏr tĭmērĕ nēmĭnēm vērŭs pŏtest, Id.

3. *Genus*

Habet in ultimo loco Iambum, in reliquis Anapæstum, Dactylum, Spondeum, Iambum vel Tribrachyn: Tribrachys enim idem continet tempus, quod Iambus; & Anapæstus & Dactylus, idem, quod Spondeus; nam una longa syllaba æqui-pollet duabus brevibus. Atque sic cum secundo genere coïncidere quodam sensu dici potest.

Prŏhĭbē-rĕ rātĭ-ō nŭl lă pĕrĭ tūrūm pŏtest. Sen.
Hŏmŏ sum, hūmā-nī nĭhĭl ā me ălĭ-ēnūm pŭto. Ter.
Săt hăbet făvĭtō-rūm, sem-pĕr quī rēctē făcit, Plaut.

4. *Genus*

Habet in primo, tertio, & sexto loco Spondeos; in reliquis Iambos. Catul.

Sed nōn vĭdēmŭs mānticæ, quŏd in tergo est.

1. Solet hic Versus vulgo appellari *Scazon*, vel *Choliambus*; i.e. *Iambus claudicans*; quia ordinem pedum mutat, incipiens à Spondeo in loco impari, & in pari finiens.

Iambici quoad numerum pedum.

Tria sunt genera; alia quatuor, alia sex, alia octo constant pedibus.

1. *Genus.*

Jēsŭ cŏrōnă vīrgĭnum.
Quem mater illa concipit;
Quæ sola virgo parturit;
Hæc vota clemens accipe. Ambros.

2. *Genus.*

Quī nōn vĕtăt pēccārĕ cūm pŏssit, jŭbet. Sen.

3. *Genus.*

3. *Genus.*

Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum. Ter.
Sic scandas;
Pĕcū-nĭ ĭn lŏcō nĕglĭgĕ-rĕ mā-xĭ m' ĭn-tĕr d'ēst lūcrum.

1. Primum genus *Hymnis*, secundum *Tragœdiis*, tertium *Comœdiis* vulgo inservit. Primum *Dimetrum* (i. e. duabus constans mensuris) secundum *Trimetrum* (i. e. tribus constans mensuris) tertium *Tetrametrum* (i. e. quatuor constans mensuris) vocari solet; Græci enim per duos simul pedes carmina metiebantur.

Iambicus Imperfectus

Caret syllaba vel pede, idque in initio, vel fine.

Deest syllaba in initio; *Tru-ditur dies die.* Hor.
Deest syllaba in fine; *Ades pater supre-me;*
Quem nemo vidit unquam. Prud.
Deest pes in fine; *Musæ jovis gnatæ.*

1. In Trimetris etiam, & Tetrametris idem reperies; ut apud Hor. & *Ter.* ubi in fine deest syllaba
Mea renidet in domo lacunar -
Nam si remittent quippiam Philumenam dolores -
2. Idem videas in hoc Catulli Tetrametro puro Iambico
Remitte palliūm mihi meum, quod involasti -

Iambicus redundans.

Et cuncta terrarum suba-cta. Hor. Od. 1. Lib. 2.
Redundat hic syllaba in fine.

Quid sit Versus *Acatalecticus*, *Catalecticus*, *Brachycatalecticus*, *Hypercatalecticus*.

1. Καταλήγειν significat *Desinere*; hinc Acatalecticus, *Non desinens*, i. e. Versus, qui non cessat, donec ad justam mensuram pervenit. Hujus generis sunt omnes Iambici perfecti, qualis est hic Dimeter.
Musæ jovis sunt filiæ.

2. Catalecticus, i. e. desinens, seu prius in itinere cessans, quam ad metam perveniat, sc. ante ultimam syllabam.

Musæ jovem canebant.

3. Brachycatalecticus, i. e. tarde desinens, præcedente segnior est; cessat enim ante ultimum pedem.

Musæ jovis gnatæ.

4. Hypercatalecticus, i. e. supra, vel plus, quam desinens, ipso Euro velocior metam transvolat, idque per syllabam, aut pedem.

Musæ sorores sunt Minervæ. per syllabam.
Musæ sorores Palladis lugent. per pedem.

Varia Versuum Nomina.

1. Versus, seu Carmen nomen habet, vel ab Inventore; vel à materia, de qua tractat; vel à pedibus, aut syllabis, quibus constat.

Ab Inventore.

2. Ut sunt Versus *Adonicus*, *Alcmanicus*, *Archilochius*, *Pherecratius*, *Glyconicus*, *Asclepiadeus*, *Sapphicus*, *Phalencius*, *Alcaicus*, &c.

A materia.

3. Hexametrum appellatur *Heroïcum*, quia heroum, seu illustrium virorum gesta enarrat. Hexametrum & Pentametrum una juncta nuncupari solent *Elegiaca*; quia de Elegia, seu re tristi in initio agere solebant; licet jam in omni materia utamnr. Et quodvis carmen *Satyricum* dici potest, si satyrice seu mordaciter hominum mores carpat. Verum hoc potius à scribendi forma, quam à materia nomen habet.

A pedibus.

Idque vel ab uno pede, vel à numero pedum.

Ab uno pede.

4. Hexametrum dici solet *Spondaïcum*, cum in quinto loco est Spondeus; *Dactylicum*, cum in sexto est Dactylus. Sic Versus *Iambicus*, quia in eo dominatur Iambus. Idem de Choriambicis & Anapæsticis censendum.

A numero pedum.

5. Quale est Hexametrum, ab *hex* i. e. sex; & *metrum*, i. e. mensura; quia sex constat mensuris, vel pedibus. Sic *Pentametrum* à *pente*, i. e. quinque, & *metrum*, mensura, quia quinque constat mensuris. De *Dimetro*, *Trimetro*, *Tetrametro* superius dictum.

a syllabis.

6. Sapphicus, Phaleucius, Alcaicus, dicuntur *Hendecasyllabi*, ab *hen*, i. e. unum; & *deca*, i. e. decem; quia undecim constant syllabis.

Varia Poëmatum genera.

1. Carmen, seu Poema est *Monocolon*, (i. e. unius membri) vel *Polycolon*; (i. e. plurium membrorum) hoc pluribus, illud uno Versuum genere constat.

2. Polycolon est *Dicolon*, vel *Tricolon*; hoc tribus, illud duobus constat generibus.

3. Secundò, Polycolon est *Distrophon*, *Tristrophon*, *Tetrastrophon*, *Pentastrophon*.

4. *Distrophon* est, cum post secundum Versum ad primum genus fit reditus: *Tristrophon*, cum post tertium Versum ad primum revertimur; *Tetrastrophon* post quartum; *Pentastrophon* post quintum.

5. Sic igitur computa, Hexametra, seu Heroïca sunt *Monocola*. Hexametra una cum Pentametris conjuncta sunt *Dicola distropha*. Sapphica cum Adonico sunt *Dicola tetrastropha*. Illud genus *Hor.* Od. 14. lib. 1; ubi duobus Asclepiadéis subjicitur Pherecratium, & Pherecratio Glyconium, est *Tricolon tetrastrophon*. Et apud *Catul.* in Epithal. *Juliæ* & *Manlii*, ubi quatuor Glyconiis subditur Pherecratium, est *Dicolon pentastrophon*.

Quæ Carmina separatim, quæ conjunctim, scribi soleant.

1. Hexametra, Iambica trimetra, Choriambica, Asclepiadea, Anapæstica, vel separatim, vel conjunctim reperiuntur.

2. Iambica dimetra, Glyconica, Sapphica, Archilochia raro separatim legas.

3. Pentametra apud *Ausonium* & Adonica apud *Boëthium* (ni fallor) solum, separatim describi reperies.

F I N I S.

Scholarchis, Didascalis, Ludimagistris, aliisque juventutis Scoticanæ, *præsertim in Grammatica, Institutoribus*

S. P.

DAbit veniam vestra humanitas, Viri humanissimi, quod obscurus ego in umbra delitescens, & vestrûm plerisque, D.D. nec de facie, nec nomine notus, super hisce præceptionibus Grammaticis officiosus vos compellem, & forte interpellem. Si me probe novi, non sum, qui temere alienis me ingeram, quasi in mustaceo laureolam quæritans, ut plerisque usu venit, qui in adornandis ad amicos Encomiasticis ipsi sibi famam precariam aucupatum eunt. Nec minor religio esset meo qualicunque ad gratiam venali testimonio Authori palpum, & Lectori fraudem facere. Istorum utrumq; juxta odit sincerus, & ingenuus testis mihi animus. Quare, ut citra morosam apologiam consilii rationem paucis aperiam, altius mihi paulo est repetendum, quantum tenellæ ætatis vicem doluerim in deponendis primis studiorum tyrociniis, ex quo erudiendæ juventuti admotus sum. Taceo illam *D. Alexandri Humii* querimoniam in sua ad Parentes, Tutores, & Præceptores juventutis *Scoticæ* Parænesi, ubi sic infit; *Non possum satis mirari hanc nostram ætatem, qui majore studio quærimus, quid linquamus liberis, quam quibus artibus fiant digni eo, quod linquimus.* ———— *Hanc insaniam non est spes me consilio correcturum: tantum dabo operam, ut, qui volent, artes videant, quibus juventus ad meliorem frugem erudiatur.* In quam sententiam de juventutis Moralibus (quod quidem educationis caput est) illud solum *Ciceronis* subjungam. *Quod munus Reipub. afferre majus, meliusve possumus, quam si docemus, atque erudimus juventutem! His præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda sit.* Mihi impræsentiarum sermo instituitur de eruditione solum scholastica; & nonnulla forte aliquali experientiâ mihi observata suggerere in proclivi esset, quæ in toto studiorum cursu, & ipso Philosophiæ stadio decurrendo planiorem semitam, & minus operosam, nec minus utilem juventuti viam munirent, & monstrarent. Sed memini me jam in pulvere Grammatico Athletam: quare ultra istam crepidam

non

… evagabor ; non quod de Grammatica abjectè, aut minus hono-
… sentiam ; quasi penitus triviales essent istæ minutiæ. Ut
…nim appositè *Glareanus* in sua ad *Donatum* præfatione ; *Grammatica*
…men hominem propemodum exigit plusquam polyhistora, qui scientia-
… circulum, seu cyclopædiam compleverit ; qualis apud Græcos Ari-
…teles ; & ille in extrema senectute Grammatica tractasse dicitur.
…uid? quod summus ille Julius Ex utroque Cæsar *in ipso belli civilis*
…ore Grammaticam studio suo illustravit, & Marco Ciceroni dedi-
…vit. Verum omissis extraneis Grammaticæ Instauratoribus, ut
…inio, Scaligero, Vossio, & nostrate *Buchanano*, qui quantumvis vir
…mmus, & inter alia Philosophiam professus in Academia *Leonar-*
…ina, non tamen dedignatus est istuc se demittere, ut patet ex ipsius
… Prosodia libello, ut vel ipsis *Linacri* Rudimentis ab eo in lati-
…um conversis, duos duntaxat celsioris ordinis domi superaddam.
Prior esto magnus ille *Verulamius*, qui in profundo illo de augmen-
…is scientiarum opere nihil Grammaticæ vult imminutum ; *Cujus*,
…nquit, *dignitas parva censenda non est, cum Antidoti cujusdam vici-*
…m fungatur contra maledictionem illam confusionis linguarum. Ejusque
…einceps divisionem prosequitur in Literariam & Philosophicam.
…lter esto *D. Alexander Setonius Fermelinoduni* Comes, summus
…cotiæ Cancellarius, vir utique & ipse doctus, & de literis ac lite-
…tis optime meritus, effecit is apud Senatum, ut Grammatices
…lexandri Humii publicatio demandaretur duobus Fori Præsidibus,
…otidemque in suprema Curia Advocatis, & *Patricio Sandeo*, qui post
…ennem Philosophiæ professionem in Academia *Edinburgensi*,
…eragratâ *Galliâ*, *Italiâ*, *Germaniâ*, multam literarum laudem re-
…ortavit. Et hi cum amplius anno ad justam trutinam examinassent,
& tandem testimonium ad Senatum detulissent, Ille de duorum
Parlamentorum authoritate maturè decrevit, ut *Despauterius* ex-
…luderetur, ut una illa Grammatica omnibus scholis præscriberetur.
Verum ut, hæc de Grammatices dignitate præfatus, eo, unde di-
…ressus sum, redeam ; diu multumque mecum sæpe ingemui mise-
…andam puerulorum sortem, qui, cum *Ars longa sit, & vita brevis*,
…ot tamen annos sermocinatrici huic arti impendunt, adeoque partem
illam vitæ in ætatis fluxu ad virtutem sequaci limam pueris pueris
vocabulis addiscendis absumunt. Gravaminis tamen hic minus sub-
esset, si blandis & amœnis, quasi per ludum illiciis, ut via facile in
ipso

ipso saltem introitu tyrones captarentur, ut monet, & molitur in suis Dauvericis, & Scholæ-ludo magnus ille *Comenius* (cujus Cognomenti affinitate glorior) sed proh dolor! longe aliter huc usque cessit: tot enim obscuris in ipso statim Rudimentorum vestibulo definitionibus, & Accidentium Logicorum formulis obruuntur tenella discentium ingenia, *ut in ipsa porta Cantherium impingat.* Provectis deinde ad ipsam Grammaticen animos adimit prolixitas Regularum vocabulis sæpe vix alibi occurrentibus scatentium; & sensuum, quos *Glossas* vocant, operosa farrago authoritatum etiam plaustris ad nauseam infertis. Sunt ista longe verius, quam *Peripat.* Categoriæ ingeniorum carcer, quæ efficiunt, ut tyrunculi animos penitus despondeant, seque putent, non in amœnum aliquem, & placidum ludum translatos, sed in ergastulum, & pistrinum detrusos. Fateor memet hic testem minus idoneum, & minus locupletem, sed quæ reapse expertus sum, comperta loquor; & nullus dubito, quin vos, Viri cordatissimi (quorum Sisyphios in hac palæstra labores sæpe miseratus sum) experientiâ magistrâ mecum juxta sentiatis. Certe, cum nuper nobili cuidam adolescenti essem à studiis, vix possum efferre, quam gravatè à me impetraverim, ut superfluis istis portentis vel ipsius ingenium quantumvis acutissimum torquerem, vel satis tenacem onerarem memoriam: & quidem nunc primum, cum ad Prædicabilia *Porphyriana* perventum est, ut inter *Genus* & *Speciem* distinguat, & quid intersit inter *Materialiter* & *Formaliter* dignoscat, *Scyllam* istam & *Charibdyn* commonstro, *Communis proprio*, &c. &, *Ex se nullius generis*, &c. Nec etiamnum *Cenchres* calcavit, *Sotulares* induit, aut *Chytropodas* delibavit: sed pauperis esset hic numerare pecus. Ex ungue leonem. Nonnulla istius surfuris observabit prudens lector in *Animadversionibus*, Institutionibus hisce præfixis. Nemo tamen sit usque adeo morosus, ut hanc fabam cudi in *Despauterii* præjudicium censeat, qui utique de re Grammatica est optime meritus. Subit hic, quod legere est in vita jam laudati Auctoris nobilissimi Vice-comitis *Sancti Albani*, cui Philosophia *Aristotelica* insipida visa est, non propter *vilipendium Auctoris*, quem summis semper laudibus evehere in more habuit, sed *propter inefficacitatem viæ.* Nec imprudens putet quisquam omnes hujuscemodi conatus à novaturientis animi prurigine profluere. Præclare, inquit, & vere *Laurentius Valla.* *Etiam* in

in Grammaticis omnino aliquid [illegible] Antiquis [illegible]. Nec defuere antehac viri gravissimi, qui id ipsum [illegible] momentis evicerant, necessariam esse aliquam in Grammatica *Despauteriana* immutationem; demque id attentarunt, magnis profecto ausis, nescio quo fato, exciderunt. Dum haec ipsa scriberem, incidi in Grammaticam in Compendium emissam typis *Christophori Plantini*, cui praefigitur ejusdem praefatio ad inferioris Germaniae Ludimagistros, ubi haec habentur, *Quis certum est Despauterium partim seculi infelicitate, partim imitatione eorum, qui paulo ante eum scripserunt, infinitis prope locis hallucinatum, & foede lapsum esse (quod pace tanti viri dictum sit) necesse fuit multa mutare, & corrigere; adeoque decreto Synodi provincialis Mechliniensis statutum est, ut unica Despauterii Grammatica in istud compendium contracta ubique in scholis praelegeretur.* Non dissimile est, quod praefatur *Joannes Behourt* ad suam Grammaticam Latino-gallicam. *Grammaticam Despauterii, inquit, si quis è manibus excutere conetur, rem piaculo dignam commisisse videtur; eam tamen video esse in multis jejunam & mancam, & minus ad docendum & discendum idoneam.* Notissimis, & in trivio res commemorarem, si *Humii, Wedderburnii*, aliorumque nostratium hic conatus referrem. Augebat mihi utique dolorem, quod Grammaticam hanc *Sebastiano-despauterianam* vulgo minus probatam viderem, meliorem tamen Methodum nondum efficaciter occupatam: quod cum mecum reputarem, & apud [illegible] etiam quaererer, opportune mihi se obtulit ingeniosissimus & ingenuus Institutionum harum Author; de quo non necesse habeo multa in medium proferre. Singularem illius in hisce [illegible] ipsum opus; ut & ardentissimum animi studium ad rem literariam promovendam cum indefesso labore conjunctum; cujus [illegible] etiam testis saepe factus sum [illegible] schedarum in ipso partu mihi copiam facere consuevit, & quorumcunque examini submittere velle sese (quae ipsius est modestia) apud me saepenumero professus est. Ego itaque horis aliquot succisivis, communicatis cum ipso consiliis, licet ad incudem nonnulla revocarem, [illegible] institutum [illegible] desideratum amplexatus sum; & [illegible] hanc delibationem usque adeo probabam, ut super ea D. [illegible], viri eximii, consulere, & compellare haud ab re duxerim; eo praesertim invitatus nonnullorum jussu, quorum in me jus est [illegible]

Po-

[illegible] ipso operis Authore; qui priusquam ei [illegible] eidem adjiciat, vestro prius limato, & maturo judicio [illegible], quantum quantum est, submittit; adeoq; in vestri gratiam [illegible] hanc, quasi præliminarem, non sine magnis impensis [illegible] ingenti rei familiaris dispendio adornat, ut, missis ad Vos [illegible] suis exemplaribus, idoneum detur ea de re deliberandi spatium. Dignemini ergo, viri sapientissimi, pro ea, qua præditi estis, [illegible] bonitate, candore, & in rem literariam studio, [illegible] boni consulere, eique auxiliatrices manus porrigere [illegible], qui jam viderunt, & probarunt inceptum. Nec de[illegible], qui nondum vi[illegible]; nec lecta improbabunt. Spero tamen æquos rerum æstimatores, quales vos omnes, & singulos volo, sententiam suam candide prolaturos: dabiturque opera, ut exemplar unum, aut alterum ad singulos Districtus, & Vice-comitatus regni transmittatur. Ea est in vos, viri optimi, bonitate, ut, qui primus exemplar nactus fuerit, aliis etiam in vicinia communicet. Et si contingat, ut tabellariorum incuria, aut fortuita quacunque de causa id minus effectum redderet, nemo tamen sese eo nomine neglectum putet; sed privatis quibuscunque præjudiciis cedat generosum in bonum commune studium. Ipsum institutum si allubescat, probate. Quæ minus placent, notate. Quæ vel deleta, vel suppleta vultis, observate. Quæ correcta, & emendata cupitis, aut in melius mutata, libere indicate. Spondet Auctor, nec solum coram verbo se obstrinxit, sed & exinde literis ad me datis subsignatione sua manuali confirmavit, vestrarum observationum in sequenti editione se usque adeo rationem habiturum, ut, etiamsi ipse aliter sentiret, in vestram tamen PLURIUM sententiam se pedibus iturum, licet non possit privatis SINGULORUM judiciis facere satis; cum ibi plerunque, *Quot sunt capita, tot sententiæ.* Porro in responsoriis ad literas, vel has, vel alias [illegible] ad vos dandas, testimonium illud sive censuræ, sive approbationis candide impertimini, vestrum sive unius seorsum, sive complurium junctim transmittentes, si visum fit, vel ad ipsum Authorem *Culrossiæ* degentem, vel ad *Magistrum Gul. Hendersonum* Academiæ *Jacobi* Regis *Edinburgenæ* Bibliothecarium; vel si qua compendiosiore ratione perferri possint [illegible], vel ipsius Authoris manus, idque, si commode fieri possit, sub Calendas Quintileis, aut certe Sextileis proxime insequentes.

mentes. Nolite dubitare, quæ minus placent, castigare, & *errantí comiter qui monstrat viam* (recte inquit Ennius) *...* *facit, quam qui de lumine lumen accendit suo.* Præsupposita istorum emendatione, expectabitur etiam ipsius instituti & operis approbatio: habet enim Author in votis, & nulla prius, quam vestra MULTORUM auctoritate munitus tenellus hic fœtus in lucem prodeat, præfixo etiam honoris ergô nobilissimi sui discipuli nomine, celebrabit merito vestra nomina in sequenti uberiore editione Auctor, vobisque operis levamen debebit posteritas, imo & præsenti seculo docentium pariter, & discentium minuetur labor, eoque cumulatius parentibus satisfiet, cum videant liberos, minus difficulter perceptis quantum satis est è præceptionibus Grammaticis, ad authores classicos citius promoveri, adeoque elegantias, & stylum puriorem, Elementa etiam Rhetorica (quæ meditatur etiam Author) addiscenda. Plus certe temporis concedetur ad necessaria avocamenta; puerilia etiam ad exercitia liberalia; &, quod majus est, ad tenellos ipsorum animos virtutis & pietatis Rudimentis pro virili imbuendos, ut ad quascunque artes, sive Liberales in Academiis, sive Mechanicas in opificinis postmodum admovendi sint, sibi & Reipub. utilius vivant. Magna quidem hæc sunt, in quæ procul dubio summa ope niti decet omnes pueritiæ Formatores, qui id operam dant, & in eam curam unice incumbunt, ut munere commandato fideliter defungantur, memores quippe sese pro... idem in magna illa quasi *Scholarum visitatione* rationem redituros villicationis suæ. Vereor jam, viri humanissimi, ...dium pariat mea prolixitas. Quare, quod statueram ... ...lam ire objectionibus aliquot, quas orituras suboleo, con... ...to impræsentiarum omitto, *Animadversionibus* præfixis ea... re præsuppositis. Si cui tamen ex minus arrideant, ...las etiam in sequenti editione omissum iri, ut & Testimonia jam typis commissa: nec non docendi Methodum, saltem magna ex parte; quo minus libellus in justum volumen ... ...scat. Vos, viri cordatissimi, eodem animo conatum hunc ...cipite, quo vobis offertur; hoc est, candido, sincero, ac ...lesse cupido. Meam etiam hic qualemcunque voluntatem ...

[illegible] rebus benign[illegible] [illegible] D. D. vestris impræsentiar[illegible] [illegible], & perpetuo [illegible] omnium

Observantissimus vestrum [illegible]
addictissimus servus

GUL. CUMINIU[S]

Humaniorum literarum quondam, [illegible]
Philosophiæ hîc Professor, nu[nc]
Lorniæ Domino præfectus.

Datum in Academia Jacobi
Regis Edinburgena pridie
Nonas Maiis, 1694.

OMISSIO.

Pag. 25. lin. 16. omissa est Regula de Verbis in VEO, quæ [illegible] [illegible] VEO in VI & TUM; ut, *Moveo mo*[illegible] [illegible], *fautum*. Neutra carent Supino; ut, *Ferv*[illegible] [illegible] ut, *Flaveo*.

[illegible] lin. [illegible] oratio, *Leo est fortissimus animal omni*[illegible] [illegible] offendat; sic legat, *Leo est animal omni*[illegible] [illegible] *fortissimus*, &c. si adhuc dura videatur, sic constru[illegible] [illegible] *omnium animalium fortissimus*; De quo vide[illegible] [illegible] *Nouvelle Methode*, pag. 468. & 6[illegible] [illegible]

[illegible] Errata (ni fallor) multa non sunt. Un[illegible] [illegible] *Supellectilis*, pro *Supellectili* [illegible] [illegible], corrigas.